

Ko
1837









E.2. num. 12.

531

ERHARDI ANTONII RAV
I. V. D.
COMMENTATIO IVRIDICA

DE
PROBATIONE
RELIGIONIS

P. 350.



1834

1837

VLMAE
APVD IOAN. FRIDER. GAVM
MDCCLIII.



21. 20


ERHARDI ANTONII RAV

A. D.

COMMENTATIO IURIDICA

DE


PROBATIONE
RELIGIONIS



IN MUNE

AVD JOAN. KRIDER. GAVM

MDCCCLX





DE
PROBATIONE
RELIGIONIS.



§. I.

unt non minus frequentes atque difficili-
les, in quibus versandum est *ICro*,
facti quaestiones, quam *iuris*; neque
ergo magis ad eius officium perti-
net, de eo, quid *iustum* sit, circa ho-
minum actiones, vniuersim disquirere; quam qui-
bus

Factorum
veritas se-
cundum
leges ciui-
les aesti-
manda.

bus rationibus, in vita civili, singulorum factorum constet *veritas*, cognitum habere atque perspectum. Neque enim, hac in re, suum quemque sensum sequi, licet (a), aut solis philosophorum, de indaganda factorum veritate, dogmatibus niti (b), sufficit: sed, cum prostant leges publicae, hoc ipso sine latae; ad earum praescripta iam, quid veri in sit assertionibus, vel negationibus hominum, imprimis iudicandum est. Scilicet sicut interfuit quam maxime civium, in quavis republica, ne, qui litium definiendarum nacti essent provinciam, magistratus, solam *aequitatem naturalem* pro norma haberent; sed *legibus* porro *civilibus* adstricti, de iustitia actionum humanarum constituerent: ita, cum parum praesidii habituri sint ciues in legibus, si quidem, in singulis causis, vbi iam earum fructum perci-

(a) Equidem aliud haberi videtur in rescripto HADRIANI imp. quod in L. 3. §. 2. ff. de testib. deprehenditur; vbi: *hoc ergo, inquit, solum tibi rescribere possum summatim, non utique ad vnam probationis speciem, cognitionem statim alligari debere; sed EX SENTENTIA ANIMI TVI te aestimare oportere, quid aut credas, aut parum probatum tibi, opineris.* Congruit fere L. 21. §. fin. eod. nec non c. 9. X. de probat. c. 32. X. de testib. Sed tamen haec omnia non adeo laxant

frena iudici, vt *legibus* plane soluto, quicquid velit, pro vero accipere ipsi liceat: sed in *collisione* solummodo probationum, et vbi lex certa deficit, eius instruere videntur arbitrium. add. CVIAC. lib. XII. obs. 9.

(b) Est elegans, eius rei exemplum, apud GELLIVM *nost.* Attic. lib. XIV. c. 2. in PHAVORINI philosophi responso, quo iudici, de facti cuiusdam, veritate ambigenti, parum recte consuluerat, quodque hic merito non sequebatur.

percipere debuerant, in mero iudicantium arbitrio positum esset, quid circa *facta*, quae in controuersiam primo loco venerant, pro *vero* accipere uoluerint, suadere certe debuit eadem publicae utilitatis ratio, quaestiones de eo, quid *verum* sit, in singulis speciebus, non magis soli arbitrio iudicum subjectas relinquere, quam quaestiones *iusti*. Cum utroque neglectu oppressio occasio detur, atque nunc incitiae et erroribus iudicum, nunc affectibus, pateant ciuium fortunae. Cum itaque tantum momenti positum sit, ad ciuium securitatem, in praescribendis publica autoritate regulis, ad quas aestimetur factorum veritas: facile inde colligitur ratio; quare in quouis populo, ubi leges condi atque constitui iudicia coeperunt; id, imprimis egisse legum autores, obseruare liceat, ne, quantum ad factorum, in litem deductorum, probationes pertinet, certa deficeret norma. Praeiuuit exemplo diuina sapientia legislatores humanos NUMER. XXXV. v. 30. DEUTERON. XVII. v. 6. et XIX. v. 15. Neque in iure Romano et pontificio, quae hodie in foris sequimur, hoc argumentum negligitur; licet illud verum sit, laxius, quam forte par erat, iudicibus ibi relictum esse arbitrium. Quod ipsum causam dedit magnis istis MASCARDI, PACIANI, MENOCHII aliorumque, de hoc argumento, commentariis. Caeterum quanquam *Germanica* instituta, quae ad probanda facta, in iudicium deducta, pertinent, maxi-

mam partem, ab usu recefferint: non possumus tamen non maiorum nostrorum hic praedicare cautionem singularem. Quippe qui, licet, in modo eruendi veritatem factorum, longe aberrarent a veris rationalis philosophiae regulis, in eo tamen summam libertatis et aequalitatis enitere fecerant curam; quod iudicium arbitrio hic parum admodum relinquere; sed quid, in quouis causarum genere, ad conciliandam assertionibus partium fidem, opus esse videretur, sollicitius longe definirent, quam leges Romanae: ut vere dixeris: maximam legum Germanicarum antiquarum partem, si demas poenarum sanctiones, versari in definiendis *probandi* modis.

§. II.

Quid sit
FIDES
IVRIDI-
CA.

Neque tamen legislatores, dum, quid pro vero accipiendum sit, ex factis, in controuersiam deductis, praecipunt, imperium quoddam in *intellectum* hominum sibi sumere, censendi sunt; sed est ipsis etiamnum, in huius generis legum latone, res cum *voluntate* ciuium sola. Equidem *fides*, vbi pro assensu, assertioni facti accommodato, accipitur, adeoque animum supponit, a cogitatione contrarii quiescentem, atque vacuum, ad *intellectum* pertinet, legibus ciuilibus parere nescium. Sed cum naturale sit, ut vbi, hoc sensu dictam fidem habeamus assertioni alterius, iam definamus contradicere assertenti; neque quisquam bonus iam consecraria illa, quae

quae forte leges cum eiusmodi facto coniungere, ulterius neget, vel detrectet; hi ipsi vero effectus fidei, qui in omissione contradictionis et praestatione vel patientia quadam conspiciuntur, ad voluntatem omnino referendi sint: fieri sane potest, ut legibus civilibus eo adigantur homines, ne, ubi certa quaedam argumenta, pro facti cuiusdam veritate militantia, attulerit aliquis, id impugnare pergant aut confectaria illa civilia, cum facto per leges coniuncta, porro negent vel admittere detrectent. Seu, quod eodem recidit, litem ulterius de iis moueant. Cumque porro publica salus postulet, litibus civium tandem imponere finem: etiam id extra dubitationem est; tantum abesse, ut hoc legislationum genus vitio verti possit principi, ut potius eius officio contineatur, ipsis legibus definire, quid, respectu nempe ad effectus hosce *externos*, pro vero accipi debeat. Quodsi itaque pareatur hisce legibus, praedicari solet *fides*, in sensu *civili*. Per quam intelligimus *abstinentiam a contradictione facti, effectuum eius civilium causa in litem deducti, ob argumenta, pro eius veritate, prolata, legibus impositam*. Atque hanc ad *voluntatem* pertinere atque legibus imperari posse, nemo credo ambiget.

§. III.

Ex hoc ipso vero intelligi potest, quid nobis hic sit *PROBATIO?* Est nempe actus, quo *fides*, civili sensu dicta *fiat*, quo *sine*

dicta, conciliatur facto, haftenus contradictioni obnoxio (c). Cum itaque probatio fidem intendat solummodo *ciuilem*, quae abstinencia externa ab impugnatione facti absoluitur: nemini obscurum esse potest; non necessario id effici debere probatione, vt iudex, de veritate facti, vere conuincatur vel ad assensum, asserenti praestandum, commoueatur, quippe quod fidem internam, seu philosophico sensu dictam, constituit; sed id imprimis curandum esse, vt, cui probandi onus incubuerat, talia argumenta attulisse, censi possit, qualia, ad probationem factorum controuersorum, leges requisuerant. Vt adeo fieri omnino possit, factum pro probato acci-

(c) Plane ad hunc sensum maiores nostri *ordele*, *ordalium*, de ipsa probatione aliquando dixerunt, magis a *finitione* controuersiae, quam a *fide*, in iudice vel aduersario excitata, desumpto vocabulo. Est enim *ordele* compositum ex *ur* vel *or*, quod *extremum*, *ultimum* notat, demonstrantibus id pluribus aliis compositis, *Urfunde*, *Urgicht*, *Urspehde*, *Uralt*, *Ursât* &c. et *delen* siue *theilen*, quod idem est ac dirimere, definire, iudicare. Neque ergo vera est per omnia deriuatio huius vocis, quam HERTIVS *dissert. de Lyro Sect. II. §. 23.* suppeditat, neque quam KLVGKISTVS in *dissert. de iustis duellorum li-*

mitibus Sect. II. §. 14. cum hic in prioris vocis sensu erret, ille in alterius. Multo minus vero audiendus est ANT. MATTHAEI in *praefat. ad tractat. de probationibus*, vbi primam illam vocem *or*, *aurem* explicat, veteri illo testes per *aurem* trahendi ritu, inductus. Natiua itaque significatione vox *ordele*, *ordalium* excludit vterio-rem controuersiam vel cognitionem. Quod cum probatio per duellum, ferrum candens, aquam frigidam vel calidam aliaque eius generis prae caeteris praestarent, tulere hi probandi modi ipsum *ordaliorum* nomen.

pi, licet iudex de eius veritate etiamnum dubitet; sicut et e contrario factum, de quo plane conuictus est iudex, nullo modo probatum esse potest.

§ IV.

Cum tamen abstinentia illa externa a facti impugnatione, qua fidem *ciuilem* constare diximus, securius longe obtineatur, si ipsam fidem *internam* imprimis excitauerimus, quam si, solis legum iussibus, ad illam adigatur aliquis: pertinet omnino ad officium legislatoris; vt, in definiendis probandi modis, id potissimum sequatur, quo conuinci aut ad fidem habendam communiter adduci posse homines, experientia docet. Vocandae itaque hic sunt in subsidium generales illae, de facultatibus et operationibus intellectus regulae, quae in philosophia rationali traduntur, atque sicut legum *ciuilium*, in quaestionibus *iusti*, ex naturali iure deducenda sunt prima stamina atque fundamenta; ita, vbi, de *veritate* et probatione factorum, leges fiunt, principia ex logica doctrina repetere, omnino conuenit. Supponit tamen haec regula ciuitates, in qua et cultura quaedam ingeniorum vigeat et satis firmata deprehendatur ciuilis imperii autoritas. Exemplo imperii Romani, in quo vtrumque deprehendebatur, vbi ferrentur leges, de probationibus, quibus hodie, ob eandem fere nostrarum rerumpublicarum conditionem, maximam partem vtimur.

Modi probandi vnde definiendi?

B

§ V.

§ V.

*Praefer-
tim in po-
pulis rudi-
bus.*

Contra vero si mente concipiamus populum, a cultu animi longe alienum atque superstitioni et erroribus adeo immersum, ut lumen illud rationis, quod, ad cognoscendam indagandamque veritatem, natura hominibus inditum est, insigniter obfuscatum appareat: vix est, ut magnum usum habiturae sint leges, de probationibus, ad philosophiae rationalis amussim quam accuratissime compositae; ut potius hic pro comparando assertionibus factorum assensu, atque inde stabilienda fide civili seu externa, litiumque cessatione, leges ad captum populi accommodandae sint. Annotandum hoc putauimus obiter, quo pateret ratio, qua nituntur veteres illi probandi modi, tum *Germanis*, tum et aliis populis vsitati, per duellum, ferrum candens, aquam frigidam vel calidam, crucem, aliaque id genus, nec non per longa *consecrationalium* agmina. Nempe tantum abest, ut legislatoribus haec exprobanda sint, ut potius, pro genio atque statu populi, qui tum fuerat, hoc legum genere, longe melius consultum fuisse *publicae quieti*, arbitremur, quam si, ex intimis philosophiae rationalis adytis desumptas, probandi regulas obtrudere voluissent turbae rudi et a literarum cultu alienae, caeterum bellorum licentiae adsuetae atque strictioris imperii impatienti (d). Ita certe IVO *epist.* 252. ad diuina re-

curri

(d) Quam infelici successu hoc tentauerit olim QVINTILIUS VARVS,

Curri testimonia fatetur: non quod lex hoc instituerit divina, sed quod exigat incredulitas humana. Et ingenue admodum ROTHARIS, rex Longobardorum in legg. Longob. lib. 1. tit. IX. c. 23. de probatione per duelum: pugna inquit causam suam multi, quae erat iusta, perdidit, sed propter *CONSVETVDINEM* gentis Longobardorum, legem illam impiam vetare non possumus. Quod autem ad *consacramentales* pertinet, plane nobis persuademus, non tam veritatis aut fidei internae causa illorum obtinuisse usum, quam eo potissimum fine, quo fides externa, quam supra definiuimus, utcunque obtineretur, et quo eo lubentius desisteret a controuersia aut vi priuata, Germanicis populis admodum familiari, pars victa; vbi facile praeuidere potuerat, quod qui testes aduersario adfuerant in iudicio, certissimi futuri sint eidem adiutores atque belli socii, si quidem manu atque ferro de causa decernendum esset. Potest ex hoc ipso principio reddi ratio, quare, pro causarum diuersitate, nunc maiores consacramentalium numeri requisiti fuerint nunc minores; quod hic quidem, ut sigillatim persequamur, institutum nostrum non patitur.

B 2

§ VI.

VARVS, in Germanis, quis est, qui ignoret? Neque enim vlla re magis concitauerat Cheruscorum aliorumque populorum Germaniae animos; quam noui-

tate disciplinae, qua, ut loquitur VELLEI. PATERCVLVVS lib. 11. c. 112. solita armis discerni, iure terminarentur.

§ VI.

Relinquen-
dum ali-
quid AR-
BITRIO
iudicis.

Vnde pro-
batio vel
artificialis
vel inarti-
ficialis.

Caeterum omnino verum est, quod in L. 3. §. 2. ff. de test. dicitur: *Quae argumenta ad quem modum probandae cuique rei sufficient, nullo certo modo SATIS definiti posse.* Qua de re quantamcunque legislator adhibeat, in definiendis probandi modis, solertiam, non potest tamen non fieri, quin plura iudicum arbitrio relinquat, argumento eorum, quae legibus expressis sancita sunt, in singulis causarum speciebus decidenda. Explicandam, ex hoc ipso, putamus distinctionem probationis, in *artificialem* et *inartificialem*, ab interpretibus dudum receptam; neque tamen clare satis ab omnibus expositam. Nobis nempe *inartificialis* dicenda videtur probatio, cuius valor atque fides *expressis legibus* nititur; contra vero *artificialis*, ubi eiusmodi probandi rationes ineamus, quibus lege quadam expressa, fides civilis speciatim tributa non fuit, sed ab *arbitrio* et religione iudicis expectanda est auctoritas (e).

§ VII.

(e) Transulere hanc distinctionem interpretes, ex *scholasticorum* philosophia, in iurisprudentiam. Quanquam autem ratione sua omnino constet: videntur tamen termini *artificialis* et *inartificialis* ipsi rei parum esse concinni. Cum nec ultima sine arte fiat. Propius forte ad usum loquendi veterum Ictorum illam exprimas per *ordinariam* et *extraordinariam*. Sicut enim cri-

mina *extraordinaria*, in iure, dicuntur, in quae nulla certa poena, lege quadam expressa, statuta est, sed *arbitrio* iudicis relicta animaduersio. L. 1. et tot. tit. ff. de *extraord. crim.* contra vero *ordinaria*, quorum poena lege peculiari definita est: ita certe probatio, prout eius fides *expressa* lege nititur, vel *arbitrio* iudicis relicta est, iisdem appellationibus discerni potest.

§ VII.

Pendet autem modorum probandi, qui tam ^{Praesentis instituti ratio.} in legibus *expresse* definiti sunt, quam iudicium *arbitrio* relictum deprehenduntur, varietas, ab ipsorum saepe factorum vel statuum, qui in controuersiam vocantur, diuersitate. Qua de re non potest non uilissima uideri opera, argumentum hoc de probationibus, respectu ad *peculiaria* quaedam facta, in uita ciuili maxime obuia et litibus obnoxia, sigillatim excutere. Fuit haec ipsa ratio, ut, de probatione *religionis* speciatim differendi, iniremus consilium; cum, in *Germania* praesertim, non infrequens sit quaestionum genus: cui quisque homo aut coetus vel olim addicti fuerint religioni vel addicti sint hodiernum? atque habeant plura *singularia*, quibus, in hoc litium genere, saepe opus est, probationes. Ita autem uersabimur in hoc argumento, ut primum, an et quatenus probatione religionis opus esse possit? tum cui, pro diuersarum specierum ratione, onus probandi incumbat? uideamus; denique uero, quae ad probationem religionis facere possint, perlustremus argumenta uel adminicula.

§ VIII.

RELIGIO, subiectiue considerata, quo sensu hic eam accipimus, deque eius probatione <sup>RELI-
GIO quid?</sup> agere constituimus, est *conuictio de mediis propitium sibi reddendi deum*. Potest certe et *obiectiue* sumta religio

dubiis obnoxia esse adeoque, hoc sensu, de eius probatione agi; quae quidem, prout illa vel *revelata* vel *naturalis* est, diue sis modis perficitur. Sed est haec disquisitio *theologici* argumenti et a nostro instituto aliena.

§ IX.

*Vnde fit;
quod DV-
BITARI
possit de
religione
dominum.*

Concipi possunt homines, qui nulla plane religione praediti sunt, quos atheos vocamus (f). Deinde vero, qui religione quadam imbuti sunt, differre a se inuicem, videmus, vel quod non *unum* *idemque* numen agnoscant, vel, si in hoc conueniant, de *mediis* illud propitium reddendi, in varia abeant sententiarum diuortia. Ex quo iam oriuntur *religiones* diuersae; et in quauis illarum diuersae sectae. Potest itaque, in singulis causarum speciebus, non modo id aliquando dubitationem habere atque in controuersiam vocari: an quis religionem omnino foueat: sed et de eo potissimum ambigi: cuienam, ex pluribus religionibus vel sectis, addictus sit?

§ X.

(f) Ad quod quidem vitium plus facere prauitatem voluntatis, quam imbecillitatem intellectus crudite demonstravit olim Vir Perillustri genere natus Dn IOACH. LVDOLPH. a BASSEWITZ, iam Serenissimo principi nostro sacri Cubiculi praec-

fectus, et in regimine prouinciae a Consiliis, de republica praecclare merens, in elegantissima disquisitione quaestionis philosophicae: *utram potius in voluntate an vero in intellectu vitium sit atheismus? Resistorii proposita an. MDCCXXXVII.*

§ X.

Quanquam autem religio, sua natura, ad id com-
 parata non sit, vt effectus ciuiles operari debeat; Quare et
 quatenus
 eius pro-
 batione
 opus?
 sed in propitiando deo, eius utilitas et efficacia impri-
 mis conspiciatur; neque ergo hominibus vnquam
 probanda videatur, sed Deo soli: euenit tamen, com-
 muni fere gentium, quae in respublicas coiuere, in-
 stituto, non perinde haberi, quamcunque religio-
 nem quisque ciuium sequatur: sed esse certam, de
 deo eiusque propitiandi rationibus, doctrinam, quam
 profiteri homines, iuribus ciuium plene fruituri,
 atque, cultu quodam externo, deducere in actum,
 teneantur. Et licet in eo diuersas paulo iniuisse ra-
 tiones, deprehendantur rerum publicarum mode-
 ratores, quod nunc aliis religionibus addicti nullo
 modo tolerentur, in ciuitate, sed pro crimine sint,
 aliena a publicis legibus, sacra; nunc vero toleren-
 tur, qui ab approbata publice doctrina abeunt,
 diuersis iterum tolerantiae limitibus: id tamen sum-
 matim asseri potest, certae plerumque religioni prae
 aliis praerogatiuam datam esse, vt, qui eidem ad-
 dicti sint, ciues pinguioribus longe in ipsa ciuita-
 te fruantur iuribus, quam qui ab eadem dissen-
 tiunt. Peperit haec ipsa obseruatio *religionis dominantis*
 notionem; cuius nempe professioni adstricta sit, ceu
 conditioni, plena iurium ciuitatis communitio. *Quam*
iniste haec ita obseruentur, quamue *prudenter*, vel qui-
 bus causis atque occasionibus debeantur haec in-
 stitu-

stituta? (s) longa est atque sinuosa disquisitio. Quam hic loci vniuersim suscipere, non quidem ab argumento, quod tractandum nobis sumimus, esset alienum; omnino tamen ab eius generis scriptionum, qua illud nobis complectendum est, breuitate. Suffecerit itaque, haec ita vsu seruari, vniuersim annotasse: cum satis inde intelligatur, quam frequens esse possit, in quauis republica, exigendi probationem religionis occasio. Nempe ex quo a religione, quam quisque ciuium fouet, pendere coepit tanta *iurium* diuersitas; vt nunc quidem vel quibusdam solummodo ciuitatis commodis destituatur alienae religionis affecta, nunc ciuitate plane excludatur, interdum praeterea poenis afficiatur: non potest non fieri, quin, de his ipsis *effectibus ciuilibus*, frequentes oboriantur lites inter homines, et quo ipsarum insequi possit decisio, circumspiciendum sit vtrique parti de *probationibus*. Imo si mente concipiamus rempublicam, in qua exulet religionis dominantis conceptus, neque quicquam momenti habeat religio ad iurium, quae legibus publicis indulgentur ciuibus, commu-

(g) Praecipua huius gentium *concentus*, in stabilienda obseruandaque *religione* quadam *dominante*, ratio, in eo sine dubio posita est, quod maxima ciuitatum pars a THEOCRATIA quadam originem coeperit: neque ergo solis illis *partis* reipublicae constitutivis, quae a iurispublici vniuersalis interpretibus communi-

ter traduntur, debeatur, quod imperio cuidam ciuili sese subiecerint homines; sed veneratio- ni potissimum *numinis* cuiusdam siue *veri* siue *falsi*, in quo consenserant, *ante ciuitatem* initam, et cuius voluntati, etiam *praeter partem*, iam obtemperandum videbatur.

nionem vel disparitatem: tamen, cum dentur iura et obligationes, quae non *immediate* ex legibus pro- manant, sed *voluntate* ciuium producuntur: potest ex ipsis negotiis ciuium *privatis*, saepe oriri religionis probandae necessitas. Quatenus nempe integrum est ipsis ciuibus, in contrahendis negotiis, ad religio- nem eius, cum quo ipsis res est, imprimis respicere, eamque pro conditione habere, qua posita demum alteri ius acquirere liceat.

§ XI.

Ex dictis etiam illud intelligi potest, ne inter *Etiam in-* populos et principes *liberos* quidem nullum esse *ter GEN-* probandae religionis vsum. Equidem, *naturali iure,* *TES LI-* quo imprimis regi debuerant gentium actiones, ni- *BERAS* hil decedit officiis illis *communibus*, quae vna alteri *probatione* debet, ex *diuersitate* religionis, quatenus haec in *religionis* conuictione consistit, nec exercitium eius pacis vio- *opus esse* lationem infert. Ex quo tamen, in singulis ciui- *potest.* tatibus, obtinuit religio quaedam *dominans*; eue- nit, fato quodam quieti generis humani admo- dum inimico, vt cederent iam haec naturalis iuris dictamina superstitioni, atque non inflammatas modo erga se inuicem, perpetuo quodam, ob sacra diuersa, odio, deprehendere liceret gentes, sed et de *iustitia* imo debito, persequendi dissentientes plane persuasas (h). Factum ita, vt, GROTIUS (i) iam obseruante, *reli-*

C

(h) ISRAELITARVM hac in re peculiaris plane et ab aliis populis longe diuersa fuit ratio.

gio
Hi enim, *expresso dei iussu*, quos- dam populos, a veri dei cultu alienos, ad excidium vsque per

gio, *quoniam, per se, ad conciliandam dei gratiam valeat, habeat tamen et suos, in societate humana, effectus maximos.*

Qui quidem, ab eo potissimum tempore, ex quo optimam orbis partem occupauerat religio *Christiana*, sese, inter gentes, conspiciendos dederant; non propria quidem sanctissimae doctrinae virtute, sed hominum eam corrumpentium, maxime autem sacerdotum, qui se interpretes atque arbitros religionis venditarant, vitio. Cum enim populi, eandem amplexi atque fide in Christum vniti, primum in societatem quandam deuenissent, cuius finis atque effectus in propitiando per Christum deo vnice versari debuerant: coepit paulatim haec ipsa societas temporalibus inseruire commodis, atque effectibus augeri, ad supremi numinis propitiationem nullo modo pertinentibus. Nempe, vti in §. praecedente indigitauimus, ab omni aeuo facillime coiuisset in ciuitatem vnā homines, qui ante iam vna religione tenerentur: ita populi atque principes Christiani, vbi ecclesiam vnā constituerent, mox et rempublicam vnā constituere visi sunt, cui praeesset imperio *pontifex*, et post eum, *imperator Romanus* (k).

Hoc

sequi tenebantur, DEVTERON. VII. v. 1. seqq. *Quosdam vero non bello quidem laesere debuerant, sed tamen humanitatis officia iis denegare* DEVTERON II. v. 19. et XXIII. v. 6. *Erga quosdam denique integra seruata, quae gens genti*

debet officia. DEVTERON. XXII. v. 7.

(i) *de iur. bell. ac pac. lib. II. c. XX §. 44 n. 3.*

(k) *Prolixius de hac Christianorum republica agit LEIBNIZIVS de suprematu cap. XXXI. seqq. et in praefat. ad prodrom. cod. iur. gent.*

Hoc ipso vero populorum, qui vel Christianae fidei plane essent expertes, vel certe ab hac magna republica secessionem fecissent, deterior longe habitata fuit conditio, quam qui comprehenderentur in hac orbis Christiani compage. Accessit infandum illud atque mansuetudini seruatoris maxime iniuriosum dogma; quo in eos, qui essent extra hanc ciuitatis christianae communionem, omnia hostilia licere videbantur, ob solum in religione dissentium, vel certe, in hoc sustinendo, obstinationem (1). Quanquam autem pars Christianorum, iam meliora docti, horreant impium illum errorem; imo *ciuilis* ille christianarum gentium nexus

C 2

admo-

(1) Plane itaque adoptauit haec Christianorum respublica morem illum, moratoribus gentibus dudum damnatum, atque sub nomine *Scythismi* traductum; quo peregrini, et extra ciuitatis communionem constituti, pro *hostibus* habebantur omnes. Imo longius hic processum fuit, quam vlli barbararum gentium atrocitatis quam maxime deditae, vquam in mentem venerat. Hae enim, eos ad minimum, quos de nouo in ciuitatem suam receperant, quiete frui patiebantur bonis suis, antea possessis. Ast in Christiana republica passim, inualuit, quod noui eius ciues, qui, relictis *infidelium* sacris,

in eam transuerant, statim defuiti viderentur rerum suarum dominio. vid. BOEHMER *de iur. circa infidel. Sect. II. c. 2. §. 3. et 4.* Cuius rei ratio non a *Iudaeorum* vsuraria prauitate desumta esse potest, cum et in aliis *infidelibus* et praesertim Saracenis, id obtinuisse, appareat ex *c. 5. X. de Iud. et Saracen* Veram rationem prodero videtur HOSTIENSIS *in c. quod super X. de voto. quod nempe in aduentu Christi, omnis honor, omnis principatus, omne dominium, omnis iurisdictio, ex iusta causa, et per illum, qui supremam manum habet, nec errare potest, homini infideli subtrahenda fuerit*

admodum laxatus deprehendatur hodie, dum aliqua iugum *pontificis Romani* plane excusserint, aliae vero *imperatori Romano* denegent pristinas illas, in gubernando *uniuersi orbis Christiani* regimine, partes: durant tamen inter Christianos principes, etiamsi mentem abstrahas a communi quodam illorum capite aut iustae ciuitatis communione, ex *pristino illo systemate*, quidam effectus atque iurium reliquiae, quibus etiamnum distinguuntur a populis, fidei Christianae expertibus ^(m). Deinde vero nec illud dubitationem habet; fluere, secundum ipsam *naturalem rationem*, ex *sola* religionis communione *peculiarita* quaedam gentium erga se inuicem officia ⁽ⁿ⁾; quod de *Christianis* ipse PAVLVVS apostolus innuit in *epist. ad GALAT. c. VI. v. 10.*

§ XII.

In GER.
MANIA,
quatenus
probatione
religioni
opus olim.

Quam in plerisque ciuitatibus, imo inter ipsas liberas gentes, saepe obtinere, vidimus religionis probandae necessitatem, in GERMANIA nostra, non minus deprehendimus. Siue enim ad

fuisse et ad fideles translata, videatur. Sic itaque infideles nulum vnquam dominium habuisse videntur, sed rerum, quas possident, fuisse *usurpatores*. Neque ergo, secundum hanc philosophiam, conversione ad Christum, *amiserunt* demum dominium, sed *vsurpare* res, nullo iure possessas, desinere debuerant.

(m) Quod in bellorum gerendorum ratione, captiuitatibus, caeremoniis, honorum signis atque titulis, aliisque argumentis apparet desine debent.

(n) add. GROTIVS *de iur. bell. ac pac. lib. II. c. XV. §. 10. n. 2.*

imperium vniuersum et, quae sine medio eidem addicta sunt, membra respicias, siue ad *singula*, quibus illud componitur, *territoria* eorumque incolae: pependerit ab omni aeuo, a *religione* eiusque diuersitate maxima *iurium* discrimina. Iam ante Christiana sacra introduc̄ta, et quamdiu plurium gentium foueret Germania ciuitates *separatas*, viguisse in illis religionem quandam, publice approbatam (o), neque cuius patrifamilias, sua sibi fingere sacra, licuisse, demonstrare videntur tum *sacerdotum* auctoritas summa (p); tum gentium, in repudianda religione Christiana, obstinatio; praesertim vero, sumta passim a primis saluificae fidei praedicatoribus atque confessoribus, supplicia. Suscepta deinde a regibus FRANCICIS Christiana religio, non statim quidem adeo *dominari* coepit, vt pro crimine habita fuerit superstitio pristina; vt potius, quamdiu viguit MEROVINGORVM imperium, durauerit apud *Alemannos* (q), *Thuringos* (r), aliosque populos subiectos, pristinus idolorum cultus; neque ideo aut poenis grassatum fuisse in idolatras, aut durius habitos esse ciues, antiquo er-

1) ante
Christiana
sacra.

2) sub
MERO-
VINGIS
regibus.

C 3

(o) CAESAR *de bell. Gall. lib. VI. TACIT. de morib. Germ. c. 9. c. 30. c. 40.*

(p) TACIT. *cit. l. c. 7.*

(q) AGATHIAS *histor. lib. I.*

(r) Alias enim opus non fuisset S. BONIFACII opera, qui

rori
sec. VIII. demum eliminauit idolorum cultum ex *Thuringia*; cum, iam seculo VI. ineunte, parere coepisset hic populus Francorum regibus. add. omn. WILIBALDI vit. S. BONIFACII in SERARII *reb. Moguntiac. c. VIII.*

rori deditos, vsquam appareat (s). Quaquam vbi velificare viderentur ambitioni regum, de perfequendis infidelibus aut haereticis, dogmata, iis nihilominus abuterentur, ad conciliandam armis, in vicinis fumtis, iustitiae speciem; exemplo CLODOVAEI, quem bello, *Wisigothis* illato, Arrianam superstitionem praetexuisse causam, GREGORIVS TVRONENSIS (t) memorat.

§ XIII.

3) sub
CARO-
LINGIS.

Ex quo vero ad CAROLINGOS paulatim rerum deuoluta est summa: coepit demum Christiana religio in *dominantis* plane euehi locum, aut certe potentius longe dominari, quam sub Merovingis. Quod quidem non libero quodam summae potestatis exercitio euenit: sed cum summis beneficiis, ex hac gente, reges obstricti essent *fedi Romanae*; subierunt ipsi sensim ecclesiae imperium,

(s) Alia longe incessisse via MEROVINGOS reges, qua perducerent victos populos ad Christianam fidem, quam Carolingi postea vsi sunt, exponit AGATHIAS, loco modo citato. Vbi enim memorasset Alemannorum cultum atque sacrificia, arboribus, amnibus, collibus et vallibus exhibita, addit demum: *verum perpetua cum Francis consuetudo, sensus beneficiorum prudentiores emollit, trahitque in rectora, et puto paulatim vniuersos evincet.*

Insanum enim illud et a ratione abhorrens opinionis etiam ipsis sectantibus, ni stulti plane sint, in aperto est, vt arbitror, utque deprehensu, ita extingui facile. Misericordia magis ac venia, quam ira eos prosequi, par est, qui a vero sunt devii. Non enim volentes errant labunturque, sed cum id, quod bonum est, expectunt, iudicio decepti, instant semel creditis, qualiacunque ea sint, pertinaciter.

(t) *Histor. Franc. lib. II. c. 37.*

rium, eique definiendorum publicae doctrinae capitum reliquere potestatem, vt Germania, cum vniuerso Francorum regno, iam pars fieret magnae istius *reipublicae ecclesiasticae*, cuius in antecedentibus mentionem fecimus. Neque ergo iam a regum pendere visum arbitrio, alienis a Christiana religione aut certe approbata, ecclesiae auctoritate, formula, libertatem sacrorum suorum relinquere; sed potius officio ipsorum contineri; cogere omnes ad vnius fidei communionem. Hinc itaque non modo, ex omni Francorum regno, proscripta, sub grauius poenis, gentilia sacra; sed et finitimi populi, fidem Christianam adhuc repudiantes, perpetuis lacessiti bellis. Fuit haec Saracenos, Saxones, Frisios, Danos, Venedos, Hunnos incessendi ratio. Ex qua simul id intelligitur, quod, vbi quosdam horum suo adiungerent imperio Carolingici reges, nunquam accipi potuerit subiectio, vt sub Merouingis plerumque factum, salua pristinae *religionis libertate*. Equidem LOTHARIUS imp. ab hoc patrum instituto longe abire atque *Saxonibus*, quo eorum sibi, aduersus fratrem, conciliaret auxilia, pristini cultus libertatem reddere, induxerat in animum (u): sed caruit consilium successu.

§ XIV.

(u) NITHARDVS de *dissensionib. filior. Ludou. pii* lib. 2. Lotharius in Saxoniam misit, *frilingis lezibusque*, quorum infinita

multitudo est, promittens, si secum sentivent, vt legem, quam antecessores sui, tempore, quo idolorum cultores erant, habuerant, eandem

§ XIV.

4) In Impe-
rio GER-
MANI-
CO usque
ad RE-
FOR-
MATIO-
NEM.

Neque aliter sese res habuit in regno GERMANICO. Vt potius quo maiora indies pontificum Romanorum potentia caperet incrementa, eo deterior esset eorum conditio, in Germanica ciuitate, qui christianae doctrinae, prout illa a pontificibus efformata, assensum detrectauerant. Quanti iam a religione effectus ciuiles suspensi fuerint, in Germania, vel inde colligitur, quod ne *regibus* quidem, a recepta eius formula abire, integrum fuerit, sed mereri viderentur regiae dignitatis priuationem leues etiam a Romana ecclesia dissensus. Quotiescunque enim Romani pontifices e re sua putauerant, destituere imperii habenis, quos suis commodis experiebantur aduersos, validissimum semper, quo voti compotes fierent, abstraherentque subiectos a fide et ferenda ope, in eo posuerunt momentum; quod *haeresin* impingerent iis, quos perseque-

rentur.

eandem illis habendam concederet. Similia habent ANNALES BERTINIANI ad an. 841. Nisi quod ille *Stellingae* nomine appellatos esse, qui has conditiones acceperant, memoret, hi *Sterlingas*. Sunt variae, de appellationis sensu, sententiae. Mihi probabile admodum videtur, sermonem hic esse de STEDINGIS, qui diu post etiam pertinacissimi fuerunt pristinae superstitionis defensores; eamque ob rem *Bremensibus* Archie-

piscopis eorumque vicinis, tantum facefferunt negotii, vt adhuc Seculo XIII. ineunte, *crux* contra eos praedicata fuerit, iisdem *indulgentiis* propositis, quibus potiri sueueerat, in terram sanctam militatum euntes aduersus *Saracenos*. WOLTER. in *Chron. Bremens.* ad an. 1222. et an. 1236. ERDWIN. ERDMAN. *chron. Osaabrug.* p. 213. in MEIBOM *script. rer. Germ.* T. II.

rantur. Demonstrant id abunde, quae HENRICO IV. FRIDERICO I. PHILIPPO, FRIDERICO II. LUDOVICO BAVARO, cum Romanis pontificibus intercesserunt, controuersiae. Ut mirum non sit; nihil mitius actum esse cum iis, qui imperio Germanico vel sine medio vel mediate subiecti essent; sed hos, a religione semel recepta abeuntes, caetera licet nihil hostile in ipsum imperium meditantibus, multo magis maneret omnium iurium atque fortunarum suarum iactura. Est inter plura eius rei documenta, aliquot seculorum in *Venedos* populos laniena. Et altera vice eandem sortem experti sunt *Bobemi*, post suscepta dudum sacra Christiana, iam denuo, ob dogmata HVSSI suscepta, ferro atque igne petiti, non tam proprio imperii iudicio, quam, quod praecesserat, ecclesiae. Neque, post reductam utcumque pacem, ipsis regibus *Bohemiae* deinde impune fuit, fouere hanc sectam vel certe de ea suspicionem incurrere, ut potius ex hoc ipso dissensu non vltima causa repetenda sit, quare *Bohemiae* reges, post Sigismundi aeuum, diu caruerint *suffragio* in comitiis imperii (*), idque hoc demum seculo, postliminii quodam iure, restaurandum fuerit.

§ XV.

Sed post REFORMATIONEM ecclesiae Christianae, quae Seculo XVI. fieri coepit, aliam

Post REFORMATIONEM paulo NEM.

(*) GOLDAST de regn. Bohem. lib. 4. c. 5. HERT. de

renou. Rom. Germ. imp. et regni Bohem. nexu. sect. III. §. 4.

paulo faciem induit Germania. Illud quidem etiamnum certum et immotum est, habere religionem effectus civiles maximos: sed 1) non pendent illi amplius ex sola pontificum vel ecclesiae potestate; sed et ex legibus imperii propriis; deinde 2) non sola illa Romana formula dominantis religionis praerogativa gaudet; sed eodem loco habetur, quae Augustana confessione prodita est, cuius, civili sensu, confortes sunt ecclesiae reformatae.

§ XVI.

Pendent
iam effe-
tus civiles
religionis
ex legibus
imp. PRO-
PRIIS.

Equidem cum publice Lutherus impugnet Romanae ecclesiae errores, eidemque plures fauere status imperii inciperent: pontifex non damnauerat modo nouam doctrinam, sed et, assuetam sedi Romanae potestatem obtendens, id voluerat; ut, pro eadem supprimenda, imperium statim ministerium suum exhiberet ecclesiae. Sed dum imperator cum statibus, non coeco quodam obsequio, his pontificum desideriis obtemperarent, sed primum quidem ad concilium quoddam vniuersale vel certe nationale rem deferendam, conserent; tum vero, si neutrum obtineri posset, SIBI IPSIS aperte definitionem controuersiae adscriberent: vindicari iam denuo coepit imperio proprium ius statuendi de doctrina publica (y). Quod ipsum etiam, luculentis speciminibus, in exercitium deductum fuit, vbi, post longas

(y) Vid. omn. R. I. de an. 1532.
§. Und so fern wir. 6. et seq. R.

I. de an. 1541. §. Und damit 22.

longas atque cruentas lites, conueniret *transactio Passauiensis* atque *pax religiosa*, et, cum ne sic quidem factis definita viderentur omnia, denuo *pax Westphalica*. Habent enim harum pacificationum tabulae omnino *legum imperii* indolem, adeoque vi, *imperii* illius summi, quo animatur Germanica ciuitas, efficaciam suam in singulos atque obligandi vim exferunt. Neque ad rem facit, quod, in iis condendis, non *virutum* vota statuum ex prompta sint, ceu alias, in legumlationibus imperii, solenne est; sed, in *duas partes* diuisi, status omnes tandem de communi placito conuerint, approbante id, imo conciliante, ipso imperatore. Sufficit enim haec ita sancita esse, voluntate et *consensu* eorum, penes quos est leges ferendi in imperio Germ. potestas. Neque ergo *modus*, quo consensus ille inuicem expositus atque acceptus fuit, quicquam valere potest, ad detrahendam communi illi placito, *legis* naturam.

§ XVII.

His itaque *legibus*, iam primo, quantum ad *Nec sola*
IMPERIVM VNIVERSVM pertinet, religio *dominatur*
 Augustanae confessioni addictorum in consortium *religio RO-*
 praerogatiuarum religionis dominantis, cum catho- *MANO*
 lica doctrina, adscita est. Ita enim in **INSTRVM.** *CATHO-*
PAC. OSNABR. art. V. §. 1. *LICA.* In reliquis omnibus au-
 tem inter utriusque religionis electores, principes, status omnes
 et singulos, sit **AEQVALITAS** exacta mutuaeque, quatenus
 formae reipublicae, constitutionibus imperii et praesenti con-
 uentioni

uentioni conformis est, ita ut, quod vni parti iustum est, alteri quoque sit iustum. Cum tamen ipsi huic aequalitatis sanctioni, quaedam limitationes adiectae appareant, in allegato modo textu: probe obseruandum est: id quidem ab initio in votis fuisse protestantium, eo sensu aequalitatem, inter vtriusque religionis confortes, admitti, vt neutris religio impedimento esset in possessione vel acquisitione iurium quorumcumque, sed duraret vtrinque absoluta quaedam bonorum, iurium, dignitatum atque munerum, quantum ad habilitatem possidendi et acquirendi pertinet, communio. Obtenta videbatur haec, iustissimis desideriiis expetita, aequalitas, per PACEM RELIGIOSAM, §. und damit solcher Fried. vbi vtriusque religionis statibus iniunctum esset: ne quis alterum, religionis causa, in principatibus, territoriis et ditionibus suis, turbaret, vel despiciatui haberet, aut ei quocunque modo crearet molestiam; sed quisque potius alterum, sua religione, fide, liturgia, ordinationibus et ceremoniis; nec non bonis suis atque possessionibus, mobilibus et immobilibus, territoriis, ditionibus, iurisdictionibus, regalibus et iuribus secure et quiete frui, patiantur. Sed cum reseruatam illud ecclesiasticum, praeter consensum euangelicorum, pacis tabulis insertum, turbasset insigniter aequalitatem hanc, atque his ad praelaturas et beneficia ecclesiastica, quae tum temporis a catholicis possessa fuerant, in perpetuum praecluderetur aditus; cum porro, post pacem concludam,

Nihilominus opus esse potest probatione religionis alterutrius in statibus. imp. I. M. MEDIA-TIS.

sam, in pluribus aliis iuribus, dignitatibus et muneribus, quae tam ad regimen *uniuersi* imperii pertinent, quam ad priuatas singulorum territoriorum rationes, intenditem *praerogatiuam* quandam captarent catholici, atque ita innumeris euangelicorum grauaminibus ansam darent, nec minus tamen ipsi de grauaminibus conquerentes: postulauit tandem necessitas, in PACIS WESTPHALICAE tractatione, de iis, quae contra pacem religiosam facta esse, sustinebantur, ita *transigere*, vt restitutiones, inuicem debitae, non secundum *merita causae*, sed secundum statum *possessionis* an. MDCXXIV. d. I. Ian. fierent; deinde vero, quod speciatim ad *bona ecclesiastica* attinet, cum nollent cedere *reseruato ecclesiastico* catholici, ea secundum hanc ipsam anni imo diei decretorii possessionem, vtriusque religionis consortibus *perpetuo* quodam *iure* addicere; (z) denique vero, in quibusdam causis, in quibus haecenus *aequalitas* potissimum neglecta videbatur, eius obseruandae rationem exactius definire, atque vtriusque religionis consortibus suas assignare quasi partes (a). Sic itaque recessum fuit quodammodo ab *absoluta* et *indefinita* illa, quae pacis religiosae finis fuerat, *aequalitate*, et, in quibusdam causis, *respectiua* obseruata fuit; in quibusdam *definita* obtinere coepit (b). Neque iam

D 3

quod

(z) INSTR. PAC. WEST. (b) Vt exemplo constat, qua
 art. V. §. 2. ratione *aequalitas* illa, in PACE
 (a) cit. art. V. §. 14. et 15. RELIGIOSA *absolute* et in-

quod ad acquirendi et possidendi *habilitatem* pertinet, singula quaeque iura, bona, dignitates et munera *communia* vtriusque religionis ciuibus manfere; sed habere coepit quaeque religio separatim quaedam iura atque quasi *peculia*, ad quorum acquisitionem et possessionem iam necessario requiritur eiusdem religionis professio. Atque haec ipsa indigitantur atque in certo ponuntur, vbi, in citata supra §. I. art. V. dicitur: quod in RELIQVIS OMNIBVS demum obtinere debeat aequalitas exacta;

definite sancita, per INSTR. PAC. WESTPH. *definita* iam sit; consideremus hic negotium *praesentationis* assessorum cameralium. In comitiis an. 1555. de hoc ita conuenerat: *Dafs Cammerriechter und Beysitzer sämmtlich und sonderlich, so hinsiro durch die Kayserl. Maiest. oder ihrer Liebdt. und Kayserl. Mai. Abwesens, wie oblaut, uns, (loquitur nempe Ferdinandus I. rex Romanorum) die Churfürsten und Craysf iederzeit praesentirt und geordnet werden, dergleichen alle andere Personen des Cammergerichts, von B. E. P. DEN, der alten Religion und dann der Augspurgischen Confession praesentirt und geordnet werden mögen und derowegen nicht auszuschliessen seyn.* Obtinuerat itaque eatenus *aequalitas*, vt par esset vtriusque religionis affectus

habilitas, ad sustinendam tam iudicis et praesidium quam assessorum partem; adeoque et praesentantibus, ex vtraque religione, praesentandi candidatos libertas Cuius quidem obseruatio bonae fidei et aequanimitati vtriusque religionis statuum tum relicta fuerat. Quae cum saepe negligi videretur: opus demum vltimum definitiori uorma, quae in §. 53. art. V. I. P. W. praescripta fuit. Neque ergo iam superest *indefinita* illa aequalitas intuitu praesidium et assessorum; omnino tamen intuitu iudicis cameralis, ad quod officium, secundum leges modo allegatas, etiamnum patere videtur tam catholicis quam euangelicis aditus.

(c) Atque haec quidem aequalitatis *definitio*, in INSTRVM. PAC. WESTPH. vel *expli.*

acta; nec non ubi additur limitatio: *quatenus praesenti conuentioni conformis est.* Ex dictis itaque iam huius *aequalitatis* effectus atque limites facile intelligi possunt. Nempe id primo per se patet; accipiendam esse aequalitatem hanc de *effectibus ciuilibus*, quae utraque religio operari potest in suis affectis. Deinde, sicut vniuersim *diuersitas* effectum ciuiliu, quae ex duabus religionibus, in vna republica non aequae dominantibus, promanare possunt, in eo conspicitur, necesse est: quod altera vel causa sit *amittendorum* iurium iam quaesitorum, vel *acquirendorum* impedimentum; altera vero neutrum operetur: ita sancita iam, per pacem Westphalicam, inter vtriusque religionis status, *aequalitas* non potest non efficere: vt I)

quate-
cite facta est, vel *implicitae*. Prioris generis exempla sunt in *art. V. §. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.* nec nou in §. 51. 52. 53. 54. 55. 56. *Implicitae* vero definitionis exemplum esse videtur, ubi INSTR. PAC. certos circulos pro *mixtis* expresse agnuit. Facit enim haec *mixturae* agnitio, vt vtriusque religionis statibus circuli mixti, *aequalia* plane, in negotiis circuli communibus, vindicanda sint iura. Atque sicut, ex hoc principio, aequales vtrisque, in camerae affectibus praesentandis, in ipsis pacis tabulis *art. V. §. 53.* conceduntur partes: ita merito inde concluditur; etiam in aliis officiis, ad ipsum circulum pertinentibus, eandem pla-

ne aequalitatem obseruandam esse. Sic itaque *natura* circuli *mixti* requirit, habere *directores* non modo ex *utraque* religione, quod circuli Rhenani superioris status, post extinctam domum Simerensem sustinere vid. HENNIGES. *ad instr. pac. Westph. art. IX. specim. VIII. mantiff. II. p. 1352.* FABRI *Staatskanzley T. 72. p. 685.* THVCEL. *act. comit. de an. 1743. n. X.* sed et *IVRIBVS* plane *AEQUALIBVS* praeditos. Quod, de circulo FRANCONICO, nouissimo CONCLVSO *Coyuovis euangelici d. d. 21. April. 1751.* agnitum atque sanctum fuit. De quo alibi vberius.

quatenus vna religio, ad *amissionem* iurium, quae ab eadem addictis iam quaesita sunt, vel ad *impediendam* nouorum iurium acquisitionem nihil facit: nec altera tale quid operetur; contra vero 2) quatenus vna, ad *amittendum* certa iura speciatim definita, vel ad *impediendam* eorum acquisitionem aliquid confert; idem et de altera religione, in simili casu, habeatur. Vberiore omnino meretur *aequalitas* haec, inter vtriusque religionis status, per *cit. §. 1. art. V. I. P. W.* sancita, explanationem; quam dare solent, qui ex professo ad Instrumentum pacis commentati sunt, OLDENBURGERVS, BVCKISCH, HENNIGES, caeteri. Qui vel sicco transeunt pede hunc locum, vel leui plane brachio eius explanatione defunguntur. Atque eo magis opus videri poterat hic accuratatione maiori; cum, in ipsis rerum argumentis, nunc ultra iustos limites hoc aequalitatis principium extendi, nunc arctius, quam par erat, restringi, videas. Sed nobis hic quidem, generatim haec annotasse, sufficit, vt inde appareat; licet *vtraque* religio in *dominantis* euecta sit locum, non perinde tamen semper esse, alterutram profiteri; nec eo valere aequalitatem hanc, inter vtriusque religionis status assertam, quin, quantum ad *singularium* iurium participationem pertinet, omnino intersit, *certum* imprimis fieri, num vni an alteri addictus sit aliquis *immediatorum* imperii ciuam.

§ XVIII.

§ XVIII.

Multo minus vero, de religionis probatione, quae Multo magis in aliis relationibus, quam ad imperatorem et imperium confideres. Sic ubi eos ad pontificem Romanum et episcopos referamus, aliis longe iuribus utuntur catholici, aliis euangelici (a).

§ XIX.

Quod vero ad subditos imperii MEDIATOS pertinet, possunt hi vel, ut ciues vnius imperii, considerari, vel ut diuersorum territoriorum incolae. Illo quidem intuitu commune est vtrique religioni additorum beneficium, quod nullibi, in imperio Germanico, haereticorum loco haberi possint, (b) quod fruuntur pace publica, iure commercii, iure capiendi ex testamentis, iure connubii, existimatione integra, reliquisque commodis, quae ex iure ciuitatis Germanicae, quatenus id de mediatis praedicatur, deriuari solent (c). Atque haec tenus etiam mediatis imperii subditis vtriusque religionis aequalitas quaedam tribuenda est. Quod si vero ad singula territoria respiciamus: facit ius reformandi, eorum dominis, in ipsa pace Westphalica, assertum (d), ut insignem hic deprehendere liceat,

E

effe-

(a) add. B. de LVDEWIG diff. de praecipuo princip. euang. nec non celeberr. Dn. ESTOR de iur. et benefic. Aug. contell.

(b) Quod quantos habet effe-

ctus, docet BOEHMER in diff. de tolerant. relig. effect. ciuil.

(c) INSTR. PAC. WESTPH. art. V. §. 35.

(d) I. P. W. art. V. §. 30.

effectuum ciuiliū, variusque religionis *inaequalitatem*. Neque enim vtraque religio, in omnibus territoriis, pro *dominante* habetur; vt potius altera nunc plane non toleretur; nunc eam profitentes deterioribus longe vtantur conditionibus. Quatenus nempe territoriorum domini et subditi ita inter se religione differunt, vt alterutri *catholicorum* sacris vel *Augustanae confessioni* sese addixerint, res iam omnis redit ad statum anni MDCXXIV. Quo nisi vel *publicum* vel *priuatum* religionis exercitium habuerint subditi, pendet a dominorum territorii indulgentia: an et quatenus id, *postea* demum institutum, eis relinquere aut permittere velint (e); Deinde, licet, respectu ad *catholicos* habito, *unum* constituere videantur partem *euangelicū* et *reformati* (f): tamen, ne horum quidem religiones in singulis territoriis *aeque* dominantur, vt potius vbi alteri dominus territorii, alteri subditi subscribant, maneat praerogatiua ei, quae, tempore pacis conclusae, dominata fuerat (g). Praeterquam autem quod ita *ipsae leges* imperii, dominis territoriorum ius reformandi relinquentes, *diuersam* faciant harum religionum, in territoriis Germanicis, conditionem; etiam *pacta*, cum subditis inita (h), haud raro

(e) cit. art. V. §. 30. 31. 32.

33. 34.

(f) I. P. W. art. VII. §. 1.

(g) cit. §. 1. art. VII.

(h) Habet plura eiusmodi pactorum exempla LVNIG in col-

lectione noua von den mittelbaren und landsässigen Adel. Quorum recensum vid. apud. *Illustr. Du ESTOR. cit. l. c. XIV.* §. 29.

raro obstant, quo minus, volente etiam territorii domino, *iisdem* iuribus frui liceat vtriusque religionis affectis.

§ XX.

Denique, qui ab hisce catholicorum, euangelicorum aut reformatorum fidei formulis abeunt, recipi vel tolerari in imperio Germanico vniuersim prohibentur (i). Durat itaque aduersus hos, si imperium vniuersum respiciamus, rigor ille iuris communis in haereticos, atque subiecti manent poenis, quae tam per leges Romanas atque pontificias, quam recessus imperii, vel generatim in haereticos, vel certas atque nominatas eorum sectas, constitutae sunt. Ex quo etiam illud intelligitur, hac ipsa sanctione, IVDAEORVM tolerantiam, qua dudum in imperio Germanico gausi sunt, sublatam non esse, quippe quae iam ante iure communi (k) nitebatur. Cum vero

*Qui appro-
batis for-
mulis ad-
diſi non
sunt, non
tolerantur
in IMPE-
RIO.*

E 2

vero

(i) I. P. W. art. VII. §. 2. in fin.

(k) Fecit error antiquus, quo in imperio Germ. durare videbatur pristinum imperium Romanum, vt de Iudaeorum statu et conditione, qua gaudere debeant in Germanico imperio, ex ipsis legibus Romanis iudicatum fuerit. Ipse pontifex in c. 3. et 7. X de iud. et Saracen. prouocat ad ius ciuile et repetit quae in L. 19. §. 2. C. de iud. et coelic. habentur. Neque ergo prius Iudaei sibi quidam et certa, in imperio Germ. toleran-

tia gaudere coeperunt; quam iuris Romani et Canonici autoritas ita inualuisset, vt pro iuribus haberentur communibus. Quod tristitia eorum fata demonstrant, quae ante haec tempora, praesertim a seculo XI. vbi coeperant expeditiones cruciatae, experti sunt, quaeque demum a seculo XIV. medio quievere. Est ex eodem iure Romano census ille Iudaicus et aurum coronarium, imperatoribus Germanicis iudicatum, vi L. 17. C. de iud. et coelicol.

Interdum tamen in TERRITORIIS Germanicis, vero statibus imperii, in suis *territoriis*, etiam *contra* ius commune, leges ferendi potestas competat: pendet ab his, quatenus rigorem iuris communis aduersus haereticos *temperare* ⁽¹⁾ vel etiam *intendere* ^(m) velint;

(1) Neque ergo allegata clausula *art. VII. INSTR. PAC. OSNABR.* obstat, quo minus status imperii, vi *superioritatis territorialis*, tolerare possint sectas, ab approbatis, in *imperio*, religionibus recedentes. Sunt quidem, qui hanc potestatem statibus abiudicant, interpretes, maxime catholici. Sunt qui merito quidem sese huc opponunt, atque pro libertate statuum, praesertim Aug. Conf. ad dictorum, militant; sed argumentis parum aptis. Partim enim clausulam hanc, absque consensu evangelicorum, pacis tabulis insertam esse, causantur; neque ergo hos eadem teneri, concludunt. Cum tamen prius falsum esse, ex ipsis pacificationis *actis* certo sciamus add. B. a MEYERN *ad pac. Westph. T. VI. p. 86* nec, si quam maxime verum hoc esset, tuto inde colligere liceret alterum. Pars tolerantiam, hic loci prohibitam, non de *singulis hominibus*, sed integris *ecclesiis*, publico religionis exercitio praeditis, accipiendam, putant. Sed quis credat, pacificatores, tanta ac-

curatione loquendi in aliis locis, et praesertim in *art. V. discernentes exercitium religionis publicum et priuatum a tolerantia nuda*, hic alio sensu accepisse vocabulum tolerantiae, quam quo id paulo ante acceperant. Neque certe ratio est, quare potestas statuum imperii tolerandi sectas prohibitas, ad *singulas personas* restringi debeat. Distinguendi itaque potius sunt tolerantiae effectus *ciuiles*, intuitu *uniuersi imperii* et *singulorum territoriorum*. Ne illis fruatur non approbatae religionis sectator, licet in peculiari territorio toleretur, impedire omnino, videtur, adducta ex *art. VII. I.P.* prohibitio. Quin vero, intra *finis territorii*, ple-nos effectus operetur tolerantia, ab illius domino indulta, dubitandum non est. Quo hanc interpretationem confirmemus, argumentum desumi potest ab *opposito*, quod est tolerantiae concessio in Instr. pac. facta, tribus religionibus approbatis. Quemadmodum nempe tolerantia, per *integrum imperium* concessa, tribus religionibus appro-

batis,

velint; nisi quod catholici, vi peculiaris illius nexus, quo pontifici Romano et episcopis tenentur, hoc iure non adeo libere vtantur, quam Augustanae confessioni addicti. Atque hinc, in singulis territoriis, religionum, in imperio vniuerso non approbatarum, sectatores nunc quidem tolerari, videmus; nunc vero iis non modo tolerantiam denegari, sed et poenis in eos animaduerti, obseruare licet (n). Prout nempe territoriorum dominis *ius commune*, in hoc argumento, vel restringere, propriis legislationibus aut *privilegiis*, placuit, vel pristinum eius valorem suo loco relinquere.

E 3

§ XXI.

batis, non impedit, quò minus, in singulis territoriis, vni vel alteri denegetur tolerantia: ita certe prohibitio receptionis vel tolerantiae, aliis religionibus in imperio vniuerso concedendae, impedire non potest, quo minus eiusmodi religiones, in singulis territoriis, toleretur.

(m) Hinc licet *Iudaeis*, quantum ad imperium vniuersum pertinet, tolerantia, vi *iuris communis*, competat: in singulis territoriis, nihilominus ipsis indici exilium, a iure alienum non est.

(n) Praejudicia antiquiora habet CARPZO V. *prax. crim. part. I. q. 44. n. 28. et 49.* Recentius est in KETTNERI *hisor. eccl. Quedlinburg. in Beyl. p. 53.* vbi scabini Lipsienses an. 1693.

pronunciant: Wann er nun nochmahlen auf seinen verstockten Sinne bleibt, so sind etliche gottesfürchtige, gelehrte und erfahrene Theologi zu versammeln und von selbigen über dessen Irrthümer, und ob Heinrich Kratzenstein vor einen Ketzer zu halten, gebührend zu erkennen und zu erklären. Wenn nun solches alles erfolgt, Inquisit auch vor einen Ketzer öffentlich erkläret: so wird er als ein verdammter Ketzer, so wohl wegen der wider die Herren Rätbe ausgestossenen . . . Schmähungen und hartten Reden, öffentlich zur Staupen gebauen und des Landes ewig billig verwiesen.

(o) Quatenus itaque *ius Romanum* et *Canonicum* in terris evangelicorum aequè ac catholicorum

§ XXI.

*De quorum
religione
probatio
exigi possit.*

Cum itaque tanti sint religionis, cui quisque addictus est, in ipsa vita ciuili effectus: non potest non fieri, quin de eius probatione saepissime quaeratur. E potest quidem tam de *singulorum* hominum religione controuersia agi; quam de *integrarum uineritatum* vel corporum. Deinde non de *uiuentium* modo religione lis intercedere potest; sed, cum, et post mortem hominum, varios effectus ciuiles operetur religio, hominum etiam dudum *mortuorum* fides in controuersiam aliquando venire solet. Denique in uiuentibus vel *praesens* eorum religio indaganda est, vel cui *praeterito* quodam tempore addicti fuerant. Opus est haec omnia imprimis discerni, ut accurate definiri possit; tum cui incumbat probandi onus, tum quibus modis et argumentis perficiatur probatio.

§ XXII.

*QVIS
probare te-
neatur et
quatenus
PROFES-
SIO sola
probet.*

Prima itaque quaestio est: cui iniungenda sit haec religionis probatio? Atque locum hic primo inue-

pro *IVRE COMMVNI* habetur, par est haereticorum, in vtrisque, conditio, donec contrariae leges, a *domino territorii* latae, appareant. Neque ergo sola religio euangelica facit, ut in terris, eidem addictis, haereticis extra poenam sit, adeoque exuat naturam *eximius*. Quamquam si de iure *constituendo* quaeramus, suadeat omnia euangelica doctrina, leges mitiores.

Annotandum hoc visum, quod solennis admodum sit *ICTIS* euangelicis iuris *constituti* et *constituendi*, in hoc argumento, confusio, et quo appareat immerito carpi a quibusdam, iudicatis, quorum *in not. praec.* mentionem fecimus. Neque enim *ICTORUM* est, tollere vel mitigare iuris communis scita in haereticos; sed principum ac dominorum territorialium.

inuenit regula generalis: quod qui fundamentum intentionis suae ponit in religione, vel *propria* vel *aliena*, seu, quod idem est, vi religionis cuiusdam, certa iura vel obligationes certas admitti, postulat, eam probare teneatur. Quodsi itaque aliquis, vi religionis PROPRIAE vel certa iura vel integrum complexum iurium, ex religione resultantium, (p) sibi adiudicari petat; eam probet, itidem quidem necesse est, sed hoc casu, vt in sequentibus videbimus, ipsa religionis *professio*, ad fidem faciendam, plerumque sufficit. Quamdiu veritas professionis ex iudiciis legitimis, non redditur dubia. Quo facto demum, ad elidendas suspiciones, stringentioribus probandi mediis opus esse potest. De quibus infra.

§ XXIII.

Quanquam autem haec fidei professio, ad com- *Quatenus praeterea IVRA. MEN. IVM re. ligionis ius ste exigatur?*
modorum ciuilium, quae religio professa operari solet, satis plerumque valeat: publicae tamen utilitatis causa, opus visum fuit, non apud catholicos solum, sed et in quibusdam euangelicorum prouinciis, vt, qui publicis adiuuari velint *officiis*, vel ciuilibus vel, ecclesiasticis, professionem fidei, publice approbatae, *iuramento* praeterea confirmet, licet nullis pre-

(p) Locum enim etiam hoc casu inuenire, videtur actio pro *statu confessoria*. Quae tamen, vbi pro religione instituitur, id habet singulare, quod ad absolutoriam sententiam, non sufficiat negare narrata actoris; sed ipsa re-

ligionis professio tam diu pro vera accipienda sit, donec reus contrarium probet, vel praesumptionem, pro asserente militantem, cuius fundamenta infra explicabimus, elidat.

premantur mendacii suspicionibus. Quod *iuramentum religionis* vocare solent. Sunt qui hoc improbant vniuersim. In quibus eminet I. S. STRYKIVS (q). Quibus tamen, per omnia, nullo modo accedendum, putamus. Distinguenda potius videntur *diuersa* huius iuramenti capita. Nempe iurari primo solet de conuictione *praesenti*; deinde etiam de ea nunquam deferenda vel mutanda, in *futurum*. Vltimum quidem caput iniquum et frustraneum esse, facile concedimus; cum mutatio conuictionis non a sola *voluntate* nostra dependeat, sed ad *intellectum* imprimis pertineat, qui nec legibus nec promissionibus obligari potest. Nec itaque vsum habet huius promissionis confirmatio iurata; nisi accipere illam velis in vim *pacti commissorii*, aut pro excludenda religionis, postea forte agnitae, *dissimulatione*. Si vero ad prius caput respiciamus, admodum debilia sunt, quibus id impugnant, argumenta. Eo enim fere redit eorum summa, 1) quod iuramentum hoc ad *reliquias papatus* referendum sit; 2) quod *formularum* fidei definitio prudentiae ciuili admodum sit aduersa; 3) quod *hypocritas* faciat huius iuramenti vsum. Denique 4) quod *tolerantia* dissentientibus a religione dominante dene-ganda non sit. Sed *primum* argumentum magis ab inuidia ductum est, quam ex ipsa rei natura. Neque enim omnia instituta pontificum hierarchica, damnanda sunt, sed prout utilitati et quieti reipublicae

(q) de iurament. meletem. I. c. 3. §. 2. seqq.

blicae atque ecclesiae, apud euangelicos aequae ac catholicos, conducunt, sine vitio, etiam apud illos retinentur; id quod non vno exemplo comprobari potest. *Alterum* licet vniuersim verum sit; tamen et illud civilis prudentia docet; vt minus in republica malum praeferamur maioribus incommodis. At neminem, rerum Germanicarum vel leuiteragnarum, fugere potest; dura quadam necessitate adactos, coniecisse protestantes fidei suae capita in *confessionem Augustanam*; neque defuisse rationes, in quibusdam Germ. prouinciis; explicatioribus *formulis* eiusdem postea in certo ponere sensum. Quoad *tertium* argumentum; non principis, iuramentum religionis exigentis, culpa *hypocritae* fiunt, sed ipsorum officia ambientium vitio. Deinde vero inuisum quidem DEO genus sunt *hypocritae*; sed cum, quantum ad rempublicam pertinet, satis bene de ea actum sit, si ciues habeat, iustitiam *externam* colentes; non est certe malum hypocrisis, cuius cura principem, qua talem, adeo tangere possit, vt, quo nulla eidem detur occasio, rempublicam turbis expositam relinquat; cum potius quo magis et diligentius quis hypocrita sit; eo minus reipublicae noceat. Denique *quarto* loco gratis sumunt: cuiuscunque religionis asseclas *tolerandos* esse, in republica quauis. Quod tamen nec aequitas exigit semper, nec suadet prudentia. Deinde vero si hoc demus interim; habet tamen suos *gradus* tolerantia, neque sequitur; quod

F

qui

qui in republica tolerandus est, statim etiam officiorum publicorum capax esse debeat; quod minime omnium de officiis ecclesiasticis sustineri potest. Est potius haec ipsa tolerantiae assertio indefinita primum illud falsum, quo nititur, quicquid contra iuramentum religionis afferri, vidimus. Cum vero nemo vnquam probauerit, non posse rempublicam in eam aliquando coniiici statum, vt certarum sectarum homines vel arcere plane a ciuitatis finibus, vel certe munerum publicorum communionem ipsis denegare, publica salus postulet: frustra sane iuramenti religionis aequitas atque vtilitas vniuersim impugnatur.

§ XXIV.

Quarens
professio
probet in
VNIVERSITATI.
BVS.

Quae de propriae religionis professione, eiusque probandi efficacia, diximus, non solum de singulis hominibus; sed et vniuersitatibus, vnam religionem profitentibus, accipienda sunt. Quaquam autem, in singulis hominibus, haec ipsa professio, de praesenti conuictione edita, etiam in antecedens tempus vim suam extendat; vt, qui impraesentiarum certae religioni addictus deprehenditur, etiam ante eidem addictus fuisse, censendus sit, donec probetur contrarium: tamen in vniuersitatibus, quantum ad praeteritum tempus pertinet, res paulo aliter sese habet. Viuit enim et subsistit vniuersitas per longius aeuum atque, decedentibus licet omnibus, qui eam olim composuerant, hominibus, durat tamen, in aliis membris, quae successiue eidem accesserant, semper eadem

eadem. Eatenus itaque *professio* religionis, ab integra *uniuersitate* edita, eundem, cum *professione singulorum* hominum, effectum habet, quatenus eadem membra, qui tempore editionis vixerant et *uniuersitatem* composuerant, etiamnum deprehenduntur. Atque haecenus, cum ea *proprio sensu* singulorum membrorum constat, etiam in *praeteritum* tempus extenditur fides, quam *professio* de *praesenti* religione meretur. At vero, si de antiquiore et quod humanae vitae terminos excedit, tempore quaestio sit; parum facere potest praesentium membrorum conuictio atque, de ea edita, *professio*, ad probandam religionem membrorum dudum *demortuorum*; cum horum intuitu, *uniuersitas* non *sensum proprium* profiteatur; sed asseueret *alienum*. Iam itaque probatione, quae *uniuersitati* incumbit, non sola *professione praesenti* defungi licet: sed opus est aliis probandi modis, de quibus in sequentibus agemus.

§ XXV.

Caeterum cum hac quaestione, de probanda *religione* tam singulorum quam *uniuersitatis*, cui praeterito quodam tempore addicti fuerint, confundenda non est alia in Germanico imperio non minus obuia; ubi nempe non religio solum, in se considerata et quatenus in conuictione consistit, sed *exercitium* religionis cum suis *annexis*, an. MDCXXIV. habitum et quasi possessum, in controuersia est. Neque enim, hoc probato: quod vel singuli vel omnia membra *uni-*

De probatione exercitii religionis, et cui incumbat? ubi ter.

uerfitatis, dicto anno, religioni cuidam addicti fuerint, statim probatum est, quod ipsis *exercitium* quoddam religionis competierit; licet illud verum sit, quod versa vice, ex exercitio religionis externo, ad ipsam religionem hominum concludi possit, ceu in sequenti, de modis probandi religionem, tractatione, vberius explicabimus. Atque in hac, de *exercitio* religionis, dicto anno, habito et quasi possesso, controuersia, frequens imprimis est quaestio: cui iniungenda sit probatio? Equidem in INTSRVM. PAC. OSNABR. art. V. §. 31. sequentia habentur: *Hoc tamen non obstante, statum catholicorum Landsassii, vassalli et subditi cuiuscunque generis, qui siue publicum siue priuatum Aug. confess. exercitium an. MDCXXIV. quacunque anni parte, siue certo pacto aut privilegio, siue longo usu, siue sola denique obseruantia dicti anni, habuerunt, RETINEANT id etiam imposterum, vna cum annexis, quatenus illa dicto anno exercuerunt, aut exercita fuisse PROBARE POTERVNT.* Iniungi hic videtur *indistincte* subditis onus probandi vbi ipsis de exercitio religionis lis intercedit, cum diuersae religionis domino territoriali. Sed si accuratius verba textus inspiciamus I), referunt sese ea, quae de probatione agunt, ad *annexa* exercitii religionis, quod dicto anno habuere diuersae religionis subditi, non ad ipsum *religionis exercitium*. Vt adeo, si quid *singulare*, quoad *probationem*, disponderet hic textus, id non de *exercitio* religionis ipso: sed de *annexis* eius, accipiendum esset. At, ne quoad haec ANNEXA qui-

quidem, a *communis iuris* regulis, secundum quas *possessio* ab onere probandi liberat, recedere, adeoque subditos, tempore conclusae pacis vel postea in possessione constitutos, probatione possessionis an. 1624. habitae, grauare voluisse, pacificantes, colligi potest ex *duplici* restrictione: 1) *quatenus illa dicto anno exercuerunt* aut 2) *exercita fuisse probare poterunt*. Nempe indigitat haec alternatiua, de duplici cogitasse casu pacificatores; primo nempe, vbi subditi quasi possessionem an. MDCXXIV. habitam, continuauerant vsque ad ipsum tempus conclusae pacis; deinde vbi a quasi possessione, in anno decretorio habita, interim deiectioni fuerant; id quod etiam ex sequente §. 32. cit. art. V. luculentius apparet. Intuitu *priorum* itaque suffecerat, dixisse: *retineant etc. quatenus illa exercuerunt*; quaestione, de onere probandi, decisioni iuris communis relicta. Ad *posteriores* vero, qui nempe turbati aut quocumque modo destituti fuerant, adeoque secundum §. 32. restitui debuerant (*), pertinere videtur altera formula: *aut exercita fuisse, probare poterunt*. Quo ipso de hoc casu expressum est, quod itidem iuris communis regulis continebatur. Certe sine ra-

F 3

tione

(*) Est itaque affectata plane, et praeter necessitatem concepta, dubitatio BVCKISCHII, vbi in *comment. ad cit. §. 31. art. V. I. P.* verba RETINEANT nec non MANEANT adeo captat, ut incertum putet, an etiam *restitutio* competat subditis, post annum decretorium deiectionis? eaque de *re comitiarum* demum decisionem expectandam, praedictet.

Plana enim est §. 32. statim sequentis dispositio: *turbati aut quocumque modo destituti vero, sine ulla exceptione, in eum, quo anno MDCXXIV. fuerunt, statum, plenarie restituantur*. Ut adeo de restitutione, quoad quaestionem an? nullum superesse possit dubium; nec opus videri legi per se clarae, interpretatione authentica.

tionem cumulatam esse has *duas* formulas, et quidem *alternatiue*, credibile non est; ast aliam, quam quae modo adducta est, haud facile reddas. Nihil ergo in hoc §. *singulare*, quo ad *probationem*, statutum esse, conuincimus; vt potius naturalis illa, et iure communi recepta, regula, qua, qui *praesenti* tempore possidet, et *antede* possedisse, praesumitur, donec probetur contrarium, etiamnum locum inueniat, vbi subditi, tempore conclusae pacis vel postea, in quasi possessione exercitii religionis eiusque annexorum, deprehensi fuerint; adeoque non ipsis, sed domino, qui eos an. MDCXXIV. possedisse, negat, incumbat probatio. Neque obiici potest, quod, de non probanda *negatiua*, tradunt doctores. Nam, vt taceamus hic, quae contra hanc regulam non sine causa ab aliis monentur, est haec *negatiua*, domino probanda, non *absoluta* aut *indefinita*, sed *tempore* et *loco* circumscripta, quam probationi obnoxiam esse, consentiunt omnes. Hanc interpretationem si sequamur, non opus est quaestione; an etiam post tempora, *executioni* Instrumenti pacis statuta, probatio exigi possit a subditis? Qua temporum distinctione, a quibusdam, subditos, qui *hodie* forte a dominis, super exercitio religionis controuersiam patiuntur, ab onere probandi possessionem anni MDCXXIV, immunnes pronunciarí, video (s). Scilicet supponunt hi, in cit. §. 31. subditis *indistincte*, siue in possessione sint, siue

(s) Dubia ideo potissimum videri potest haec opinio, quod, in hoc controuersiarum genere, non semper de *restituendo* agatur, sed dominus territorii, vi *iuris reformandi*, deneget interdum subditis

exercitium religionis, licet nec suae religionis exercitium, in loco illo, an. 1624. vigerit Pertinent autem tempora, *executioni* instrumenti pacis statuta, potissimum ad *restitutiones*.

ue extra eam constituti, iniunctam esse probandi necessitatem; quod menti pacificatorum aduersum esse, antea coniecimus. Caeterum licet non negemus; egere maiore luce locum supra adductum, neque nos hic quicquam definiamus, nisi pro schola: illud tamen certum est, quod, si ratum atque firmum haberi deberet; nihil prodesse subditis praesentem possessionem, ad declinandum onus probandi possessionem an. 1624. habitam, euenturum tandem sit, vt minores praesertim ecclesiae, quibus praeteritorum temporum gesta, monumentis aetatem laturis, ad posteros transmittendi, vel non tanta cura est vel occasio, facillimo negotio destituantur exercitio religionis suae a diuersae religionis dominis. Non potest enim non fieri, quin, succedente tempore, magis magisque excidat memoriae hominum status, qui an. 1624. in quauis ecclesia, fuerat, pereantque paulatim instrumenta, aut certe decrementum fidei patiantur, quibus probatio possessionis dicti anni perficienda erat. Vt tandem pluribus ecclesiis, de exercitio suae religionis impetitis, tristi quodam fato, non ius, sed probatio defutura esset.

§ XXVI.

Qui, vi religionis, quam *alter* fouet, certa iura sibi adiudicari, vel obligationes certas alteri iniungi, petit, adeoque fundamentum intentionis suae in ALIENA religione ponit, aequae ad probationem teneri, ac qui in propria religione sese fundat, supra iam diximus. Atque nihil quidem, quantum ad probandi necessitatem pertinet, interest, siue religio hominis *uiuentis*, eaque vel praesens vel praeterita; siue *mortui*, nec non siue *singulorum* siue *uniuersitatis* vel corporis aut collegii religio-

Qui in ALIENA religione se fundat, itidem probare debet.

gio in lite sit. Neque ergo sufficit, *generali* haereseos imputatione, in aliorum laeuire famam atque fortunas, sed, in quibus hdei capitibus, ab approbata publice religione abeant, sigillatim indicandum atque probandum est. (c) Quo grauiores autem sunt effectus illi ciuiles, qui ex religione *alterius* elici debent; eo stringentiores requirendae sunt probationes. Qua de re, si, pro poena *capitali* vel parum mitiori, infligenda, damnatae religionis conuincendus sit reus, locum sibi vindicat omnino *L. ult. C. de probat.* Sed de diuersis hifce probandi religionem *modis* peculiaris tractatio superest, quam mox dabimus.

(c) Non possumus nobis temperare, quin transcribamus huc decretum IVDICII CAMERALIS d. 22. Ian. 1702 conceptum ad supplicam fiscalis Caesarei, *contra W. und L. pro mandato de non tolerando sectarios, etc.* Quo dicta egregie illustrantur. Est tenor eius qui sequitur: *Noch zur Zeit abgegebene; sondern wofern supplicant, worinnen terer a. gegebenen sectirer unchristlich und ungebührlich Leben und Wandel eigentlich bestebe, wie auch ob selbige alle, drey im Reich erlaubte Religionen oder welche unter denselben, gantz oder zum Theil, und dierfalls in was vor Parthen und Artickeln vermerken, auch was sie dabin gegen in ihren so genannten Uebungen heimlich oder öffentlich denen Leuten vorpredigen, vorsehrwätzen und ausbreiten, und was sonst diesen anhangen mag, in specie und besser als gegeben, beybringen und beschreiben wird: soll darauf ergeben, was recht ist.* Add. *LVDOLPH de iur. cameral. sect. I. §. 6. n. 14. seqq.* Caeterum quanquam hic cum *DECKHER-*

RO ad Plur. tit. XXX. n. 35. inanes plerumque eius generis actiones in camera imperii institutas, praedicet, ob *difficultatem probationis*; tamen ex his, quae supra de iure principum imperii *tolerandi* sectas, in imperio non approbatas, diximus, non immerito colligas; non solum probandi difficultatem hic causandam esse; sed expungendam plane ex indice actionum *fiscalium*, quem dare solet iuris cameralis scriptores; quae contra *receptatores haeresum* locum habere, dicitur. Quo ipso tamen non excluderim actionem ex *§. Item so soll keiner 6. tit. XX. part. II. ORD. CAMERAL.* ubi de receptione *anabaptistarum* non vniuersim agitur, sed quatenus hi, ab *ordinario magistratu* suo profugi, ab alio receptantur. Est inter exempla inanium eiusmodi actionum *fiscalium*, quae occasione doctrinae *Ioan. de la Badie*, in camera, instituta fuerat, de qua vid. *RODING. pandect. camer. lib. I. tit. VIII. §. 18 iunct. DECKHER. RO cit. loc.*

§ XXVII.

Scilicet cum religio in *convictione* quadam consistat; neque ergo sensibus percipi possit: omnia, quae ad probandam religionem facere possunt, argumenta, ad *duas classes* reuocanda videntur. Vel enim ex eiusmodi circumstantiis, quae, aliquem religione quadam imbuti facile potuisse, demonstrant, concludimus, illum vere eadem imbutum esse; vel ex factis et circumstantiis, quae, non nisi posita religione quadam, facile euentura fuissent, argumentum ad religionem illam ducimus. In probanda itaque religione, vel a *causa* ad *effectum*; vel ab *effectu* ad *causam* argumentandum est. Quemadmodum autem vtrumque arguendi genus *probabilem* solummodo producere solet conclusionem; quatenus nempe vel circumstantiae ita comparatae sunt, ut possint quidem causam certi effectus continere, neque tamen necessario illam inferant; vel phaenomena, quae deprehendimus, aliam etiam habere causam possunt: ita porro, cum probabilitas *gradus* admittat, longe inter se differre possunt, robore, *singula* haec pro religione argumenta. Facit deinde, in singulis speciebus, *concursum* plurium eiusmodi argumentorum, quatenus nempe vel ad *unam* religionem concludunt omnia, vel quodque illorum ad *diversam*: ut nunc propius a vero abesse videatur, nunc longius, de religione cuiusdam hominis assertio. Quis vero demum probabilitatis gradus, in eius generis controuersia, requiratur, ut pro vero atque certo accipi, adeoque pro *probato* haberi possit,

G

fit,

Probatur
religio vel
argumentis
a CAUSA
ad EF-
FECTUM;
vel ab EF-
FECTU
ad CAU-
SAM.

fit, quod de religione alicuius asseritur: ex diuersa effectuum ciuiliū grauitate, quorum causa lis agitur, metiendum esse, supra iam innuimus. Nos potentiora, quae ad probandam religionem facere possunt, hic perlustrabimus argumenta, eorumque vim sigillatim considerabimus; ex quo deinde facile ferri poterit iudicium, quatenus ea augeatur vel minuat, ubi cum aliis concurrunt, vel ad eandem concludentibus religionem, vel ad diuersam.

§ XXVIII.

Recensentur argumenta a CAPSA ad effectum. 1) A PARENTI-
BUS.

Et primo quidem eiusmodi circumstantiae considerandae veniunt, a quibus, tanquam a causa, concludi potest ad religionem certam, ceu earum effectum. Referimus huc I. PARENTES. Cum enim non possit non fieri, quin parentes, de religionis cuiusdam veritate persuasi, eadem liberos suos, quos educant, mature imbuere studeant: merito praesumitur, quisque eidem religioni addictus esse, quam fouerant eius parentes (u). Locum habet hoc argumentum siue de religione hominum *uiuentium* quaeratur, siue *mortuorum*. Imo in ipsis *uniuersitatibus* non sine usu est. Est enim, cum quarundam *uniuersitatum* origine, ita comparatum, ut ab aliis *progeneratae* dici possint; ubi nempe membra, quae nouam *uniuersitatem* constituunt, antea eiusdem *uniuersitatis*

(u) Agnoscunt leges hanc praesumptionem, etiam praeter religionem, ut uniuersim ita animati credantur liberi, ceu fuerant

eorundem parentes. L. 4. §. 1. C. ad L. Iul. Maieft. MENOCH. de pract. lib. 1. qu. 15. n. 24.

tatis maioris partes fuerant, atque ab hac *uno actu* ideo exeunt et separantur, ut nouae vniuersitati accedant. Prodit ita ex vniuersitate vniuersitas, atque inuenit etiam hic locum praesumptio, eandem esse eius, quae ex altera nata est, cum altera religionem. Exemplo sunt *coloniae*, tum Romanis (x) tum aliis populis usitatae. Praesertim vero in illis societatibus, quae sacrorum causa coeunt, quasque *ecclesias* vocare solemus, saepe obtinet *maternitatis* atque *filiationis* (y) notio. Praesumitur itaque ecclesia filia eiusdem esse religionis cum matre, quamdiu non constat de mutatione, ab alterutra suscepta. Cum vero, quantum ad homines *singulos* pertinet, praesumptio haec supponat *educationem* liberorum, a parentibus factam: facile intelligitur, insigniter minui imo plane tolli eius robur, ubi probari possit, amisisse liberos statim post natiuitatem, parentes suos; aut certe ab his educatos non esse.

(x) De sacris coloniarum, ad instar ipsius orbis Romae compositis, vid. MARC. WELSER. *de reb. Aug. Vindel. lib. V. p. 259.*

(y) Habere sese inuicem videntur *ecclesiae*, ut *mater* et *filia*, vel 1) solo respectu ad *propagationem* fidei, ut, a qua doctrina Christiana in alias promanauerit, harum, dicatur, esse *mater*. Quo sensu Hierosolymitana, Romana et Constantiopolitana plurimum *ecclesiarum* matres appellantur. Vel 2) respectu iurium *parrichialium* et *subiectionis*. Vtroque sensu

G 2

§ XXIX.

praesumptio, supra adducta, usum habet. Caeterum tribuitur *ecclesiae Romanae* etiam *matris* nomen, non certarum *ecclesiarum* intuitu, sed omnium eidem subiectorum tam clericorum, quam laicorum. Ad designandam scilicet imperii, quod ab illa exercetur, lenitatem. Quo sensu egit B. BOEHMERVS *de ecclesia Romana matre indulgentissima*, in *dissert. praelim. ad T. V. iur. eccl. protest.* Qui tamen nihil facit ad nostrum argumentum.

§ XXIX.

Si diuersae
sint reli-
gionis.
2) a PA-
TRE vel
3) a PAC-
TIS.

Quodsi vero parentes ipsi *diuersae* fuerint religionis, in dubio quidem, propter patriam potestatem et imperium maritale, religio PATRIS praesumitur in liberis (y*). Cum tamen frequens sit, in Germania, inter eiusmodi coniuges, qui non vni eidemque ex tribus religionibus approbatis, additi sunt, PACTIS, conueniri, vt liberi, vel secundum ordinem nascendi, vel secundum sexus diuersitatem, huic vel illi religioni mancipientur (z): iam, vbi constiterit de pacto, prae-

(y*) WERNHER *princip. iur. iur. eccl. c. P. §. 17.* Fuit inter grauamina religionis Palatina; quod, in coniugiis mixtis, patri, ceu capiti familiae, deficientibus pactis, denegetur libertas educandi liberos in sua religione. De quo vid. FABRI *Staats-Canzley tom. XLII. p. 267.*

(z) Sunt, qui eiusmodi pacta invalida esse, statuunt; atque si horum sententia sequenda esset; parum illa facerent ad praesumptionem religionis liberorum. Est in illis LYNCKER in diff. *de eo quod iust. est. circ. person. diuers. relig. sect. II. c. 1. §. 10* Sed duae quaestiones hic probe discernendae sunt. 1) An *salua conscientia* eiusmodi pacta iniuri possint? 2) an, vbi semel inita, in foro *externo*, obligationem operentur? In priori, distinguendum videtur: an haec libero-

rum, quoad religionem, partitio, in ipsis sponsalibus, ceu conditio sine qua non, requisita fuerit; num postea demum, pacis forte domesticae aut deuinciendi sibi coniugis animi gratia, pacta fuerit. De hac specie nihil hic definimus; In illa vero, parum ad rem facere argumenta, videntur, quibus hoc pactorum genus improbari solet. Nam quod dicunt: nunquam non sensurum orthodoxum coniugem conscientiae vulnera, quoties intuiturus sit natos, quos, *sua culpa*, periculo salutis subiectos iri, peruersum habet; nec dissimiles istos videri gentilibus, qui filiorum suorum aliquos idolis et daemonibus mancipient etc. non quadrat ad hanc speciem; cum falsum hic sit, id *culpa*, coniugis orthodoxi euenire. Suo enim iure, periculoque suo, pars altera sponsalibus hanc legem dicere poterat.

rat.

sumtio est, vtrumque coniugum suo iure vsu esse; neque ergo immerito, ex eiusmodi *paetis*, ad religionem liberorum ducitur argumentum. Eadem ratione, si ⁴⁾ a *STA- IVTIS.* per *STATVTA* eam in rem prouisum sit, deficientibus *paetis*, inde colligi potest religio liberorum (2*).

§ XXX.

Quodsi vero de religione parentum non constat, peculiare fundamentum, vnde ad religionem hominis cuiusdam ducatur consecutio, poni potest in religione integrae *FAMILIAE* vel consanguineorum. In dubio nempe eidem religioni quis addictus censetur, cui subscribunt eius familia, vel propinqui. Ratio partim in eo posita est, quod, deficientibus parentibus, educationem plerumque curent propinqui; partim, quod, apparente religione eadem plurimum propinquorum, concludi possit ad religionem

G 3

com-

rat. Nec obici potest, abstinendum itaque potius fuisse a coniugio, cum alterius religionis coniuge. Nam licet verum sit, euenire iam, vt aliqui liberorum, ex orthodoxo genitorum, alteri religioni addicantur; tamen hoc eo pensatur, quod contra aliqui liberi alterius coniugis, orthodoxae religioni mancipentur; qui, si foae religionis coniugem accepisset, omnes eiusdem religioni cessuri fuerant. Manet ad minimum semper in incerto, an deminuat ita ecclesia orthodoxa aliquibus membris, num potius augetur? Quod ad alteram quaestionem, de *obligatione externa*

eiusmodi pastorum, pertinet, facit publica approbatio trium religionum, in Germania, vt de re *illicita* inita, videri non possint; ideoque, absque ratione, eorundem valor vocatur in dubium. Caeterum, num, inter diuersae religionis homines, quibus exercitium sacrorum suorum aequaliter in ciuitate competit, prohiberi possint connubia? disputatum est an. 1725. occasione statuti *Wormatiensis*. *FABRI Staats-Canzley T. XLIX. p. 147.* (2*) Exemplum est in *FABRI Staats-Canzley Tom. XLIX. p. 155. add. PFAFF. inst. iur. eccles. p. 159.*

communis eorundam parentis; ex hac vero, secundum ea, quae §. praecedente diximus, porro procedat argumentum ad religionem descendentis, cuius religio probanda fuerat. Quo propius autem certi agnati eum, de cuius religione quaeritur, attingunt, eo fortior est praesumptio pro religione eadem. Sic, ubi de religione fratrum et fororum omnium certi hominis constet, non potest non coniectura capi eiusdem in eo religionis.

§ XXXI.

6) a
PRAE-
CEPTO.
RIBVS.

Faciunt porro insigne momentum, in indaganda hominis religione, PRAECEPTORES; quos nempe religionis doctrinae operam imprimis dare solitos, contiteret. Hos enim, siue quis illa aetate, qua primis religionis doctrinis imbui homines fuerunt, vel postea, professo studio, audiuerit: non potest non videri, eorundem imbibisse religionem. Hinc cum in scholis *trinitatibus*, ut vocant, religionis doctrina insignem faciat institutionum partem: concludi omnino potest, qui eiusmodi lycaei olim ciuis fuit, religionem fouere, quae in illo inculcari solet. A *gymnastii* vero frequentatione, in quo altiora traduntur, aut ciuibus, quibus interesse velint doctrinis, arbitrium quoddam relinquitur, non tanti roboris est argumentatio. Multo minus vero ab *academia*, in qua aliquis vel iurisprudentiam, vel medicam artem vel etiam philosophiam tractauit, valere consecutionis nexum ad religionem eandem, quae in ista academia dominatur, facile intelligitur. Ast qui theologiae studium in academia professus est; non potest non haberi eiusdem esse religionis, quae

quae ibidem dominatur atque docetur publicae. Quod argumentum adeo inter ipsos euangelicos aliquando valuit, ut, qui in academiis, licet itidem euangelicis, sed singularia dogmata defendentibus, theologiae operam dedissent, in terris, ubi orthodoxiae viguerat studium, aegre ad officia ecclesiastica admitterentur.

§ XXXII.

Caeterum de parentum aut familiae nec non ^{Quatenus} praceptorum religione, interdum ex coniecturis, ^{7) a CIR-} ab effectu desumptis, constitutum est; de quo ^{CIRCUM-} argumentorum genere infra videbimus. Quatenus ergo eiusmodi effectus in ipso illo, de cuius religione quaeritur, deprehenduntur; facit demum religio parentum, propinquorum vel educantium, hoc ipso in certo posita, ut inde porro ad religionem liberorum concludatur. Sic a *circumcisione* sola, non quidem, ut *causa*, argui potest ad religionem circumcisi: attamen cum *circumcisio*, quatenus in recens nato facta, demonstrat; habuisse eum Iudaeos vel Turcas vel alius cuiusdam religionis, quae *circumcisionem* requirit, *parentes*, vel certe, a teneris, in eiusmodi hominum fuisse potestate, qui his tenentur superstitionibus: valet omnino ex hoc signo, ad religionem circumcisi, argumentum (a). Eodem mo-

(a) Vbi fuerunt olim hoc argumento *fisci iudaici* procuratores, adversus eos, qui, dissimulata origine, imposta genti tributa non pepercissent. Ita certe SVETONIUS in *Domit. c.*

XII. *Sese adolescentulum interfuisse, memorat, cum a procuratore, frequentissimoque concilio, inspiceretur nonagenarius senex, an circumsectus esset.*

vel 8)
BAPTIS-
MO.

modo, de cuius *baptismo infantili* constat, parentes Christianos habuisse, aut certe inter Christianos natus et educatus, censeretur; atque locum habet eatenus, a religione parentum vel educantium, argumentatio. Faciunt itaque *libri baptismales* in genere ad probandam religionem Christianam, atque excludendam *infidelitatis* notam (b). Cum vero in varias sectas abeant Christiani, quarum plurimus *baptismus infantium* in usu est; idque praesertim in tribus illis religionibus, in Germanico imperio dominantibus, aequaliter deprehendatur: non eo semper valet hoc, a *baptismo*, argumentum; ut, qui in ecclesia *catholica* vel *euangelica*, a sacerdote huius vel illius religionis, baptizatus est, parentes habuisse eiusdem religionis, adeoque ipse eidem addictus praesumi possit. Cum enim, secundum utriusque ecclesiae dogmata, *baptismo*, ab alterius ecclesiae ministro peracto, efficacia sua non denegetur: fieri saepissime solet, ut parentes, vel in itinere constituti, vel in eiusmodi terris degentes, ubi destituuntur *exercitio* religionis suae publico vel priuato; sed do-

(b) Atque hinc in *litteris natalitiis*, quas opifices exigunt ab aspirantibus ad sui officii consortium, requiritur *baptismatis* atque *susceptarum* mentio, ex libris baptismalibus repetita. Quod *infideles* honestorum collegiorum consortes non habeantur. Cacterum de fide libro-

rum baptismalium vid. REBVEF in tract. de registris vel libris baptismal. MASCARD. de probat. concl. 958. n. 29. LYNCKER. de baptismo c. V. §. 1. RVDING. observ. voc. Taufbuch. BOEHMER. iur. paroch. Sect. IV. c. 1. §. 30.

domesticae solummodo deuotionis permissione gaudent, liberos suos alterius religionis *parochi* baptizandos permittere, teneantur (c) Neque ergo, apparentibus eiusmodi circumstantiis, nomen, *libris baptismalibus* certae ecclesiae inscriptum, probat eandem inscripti, cum illa ecclesia, religionem. Caeterum, quatenus *adulti*, ad Christianam religionem conuersi, baptizantur, pertinet, a baptismo desumpta, probatio, ad alteram illam argumentorum classem, ubi ab effectu religio probatur; de quibus postea. Quod et de circumcisione adultorum verum est.

§ XXXIII.

Quatenus a SVSCEPTORVM seu patrino-^{9) 4 SVS-}
rum religione ad religionem patris, et, per conse-^{CEPTO-}
quens, ipsius baptizati, in Germania, concludi possit? ^{RIBVS.}
ab ea pendet quaestio: num susceptores, alii religioni, in imperio tamen approbatae, adisti, quam cui parentes subscribunt atque destinant infantem, rogari ad susceptionis actum et admitti debeant? Penes *catholicos* negatiua obtinet. *Protestantium* non vna est sententia. Sunt, qui eam itidem negant (d);

H atque

(c) Ad quod quidem, si in vicinia sit parochus suae religionis, cogi non debent. *I. P. W. art. V. §. 34.* Caeterum orthodoxo patri, ob defectum sacerdotis suae religionis, differe baptismum, vel ipsum baptizare infantem, recens natum, non licere; neque hoc casu locum inuenire excusationem, a necessitate desumptam,

die Notbtauffe, respondit an. 1601. de 7. April. *Facult. Theolog. Lipsiens.* habet responsum LYNCKER. in *dissert. de baptismo*. c. III. §. 6.

(d) CARPZOV. *iurispr. consistor. lib. II. def. 266.* SIMON *de patrinis* c. II. add. STRYCK. *ad Brunnem. ius eccles. lib. II. c. 1. membr. 2. §. 12.*

atque confirmata deprehenditur haec opinio exprefsis legibus quorundam territoriorum euangelicorum (e). Sunt deinde, qui a baptisteriis euangelicorum arcent solummodo catholicos, non aequè reformatos (f). Denide aliqui approbationis publicae, quam tres illae religiones nactae sunt, eam vim esse, statuunt, vt promiscue admittendi sint, qui vnam, ex hisce religionibus, profitentur (g). Nunquam componetur haec controuersia, nisi imprimis definiatur; quibus *rationibus* nitatur susceptorum in baptismo, adhibitio, tum in *primitiua ecclesia*, tum et in *hodiernis*. Si, adhiberi paternos, tanquam *testes* solummodo baptismatis, supponas; vel pro *nuda ceremonia*, (h) quae nullam significationem habeat, accipias eorundem adhibitionem: non facit quidem religionis diuersitas, vt inhabiles censendus sit aliquis, ad subeundum hoc munus. Contra vero, si, pro *veteris ecclesiae disciplina*, *sponsores* esse debeant, qui promittant Deo et ecclesiae atque in se recipiant, baptizatum dignum sese ecclesiae, in cuius

(e) AVGVSTVS Elef. Saxon. in *General articulu de an. 1580. art. X.* distinguit inter eos, qui *quibusdam* solummodo catholicorum dogmatibus infecti sunt, et qui, ab ecclesia euangelica plane alieni, catholicorum religionem per omnia prouidentur. Quae in *Agendis Hassiacis* hac de re habentur, recenset Ill. ESTOR

in *delin. iur. publ. eccl. c. XII. §. 17.*

(f) PFAFF. *instit. iur. eccl. p. 160.*

(g) BOEHMER. *iur. eccl. protest. lib. III. tit. 42. §. 41.* WERNHER. *princ. iur. eccl. c. V. §. 62. Ill. ESTOR. cit. l.*

(h) Quod TITIVS sustinet in *der Probe des Teutschen geistl. Rechts. lib. III. c. 2. §. 18.*

cuius communionem iam venit, exhibiturum esse membrum (i) : non potest non inde colligi; alius religionis a seclam nec subire recte hoc munus posse; nec, si temere illud suscipiat, sine vitio admitti. Non patitur nostrum institutum, haec sententiarum discrimina hic sub examen vocare prolixius. Interim, dum haec ita disputantur, hodie, a religione *susceptorum*, nec ad religionem parentum, nec porro ad religionem eius, in cuius baptismo illi intercesserant, tuto arguere licet. Quanquam in illis prouinciis vel ecclesiis, vbi legibus expressis vel obseruantia quadam, excluduntur, a susceptorum officio, alius religionis a seclae, quam cui parentes et ecclesia, in qua nascuntur infantes, addicti sunt, aliqua capi possit, tum ad religionem baptizati, tum et ipsorum *susceptorum* seu patrinorum coniectura. De ultimo infra videbimus.

§ XXXIV.

Cum argumenti, quod, a parentum atque pro-^{10) a TV.}
pinquorum religione, ducitur ad religionem libe-^{TORI-}
rorum, vis omnis in *educatione* positum sit: TVTE-^{BVS.}
LA vero non id semper operetur, vt penes tuto-
rem *educetur* pupillus (k) : facile est ad intelligentum;
non nisi tum eandem pupilli religionem, cum tu-
tore, praesumendam esse, vbi hic illum ipse edu-
cauerit.

H 2

§ XXXV.

(i) MASTRICHT de *susceptor.* (k) L. 1. C. ubi pupill. educ. deb.
BOEHMER cit. l. §. 36. SCHILTER *exercit.* 37. §. 163.

§ XXXV.

ii) a P. A.
 TRIA vel
 NATIO.
 NE.

Dari quasdam animi dotes, quibus populus
 populum antecellat, contra et vitia esse, singulis
 populis, prae aliis, praecipua, dudum quidem ob-
 seruatum est. Dimanant inde in *singulos*, ex quouis po-
 pulo vel *natione*, homines aliqua, pro iisdem virtu-
 tibus vel vitiis, praesumptio: quae tamen admo-
 dum debilis est, atque ideo saepissime fallit, quod,
 quae de vniuerso populo vel natione praedicantur,
 plerumque solummodo a modica hominum, qui
 eum componunt, *parte*, desumpta esse, soleant; ne-
 que *causa* semper, qua nititur haec, in pluribus, ex
 vno populo, hominibus, virtutum vel vitiorum
 conuenientia, ad *omnes* omnino quadret. Ast quod
 pro religione hominis, a PATRIA vel *natione*, ducitur,
 argumentum insigne aliquanto robur habet. Quo
 magis nempe dominatur *una* religio, in regno vel po-
 pulo quodam, aliis religionibus vel incognitis plane,
 vel, si qua detur earundem notitia, in criminum
 numero habitis; eo securius inde colligitur, quem-
 que, in eiusmodi populo natum et educatum, iis-
 dem etiam dogmatibus imbutum esse, quae in illo
 regnant, publiceque docentur *sola*. Sic Hispanum
 hodie vel Italum quis non credat catholicae religioni
 addictum? Diminuitur huius argumenti vis, I) pro-
 vt de *tolerantia* aliarum religionum, in regno quo-
 dam, constiterit. Hinc hodie, qui in *Germania* natus
 et educatus esse, apparet, haecenus non maiore iu-
 re

re pro catholico haberi potest, quam euangelico; nisi porro de peculiari illo *territorio* constet, cuius indigena sit. Cumque dentur territoria, in quibus *una* solummodo religio viget: valet iam demum, ad ad singulos, ibidem natos et educatos, consecutio. Deinde 2) licet destituatur religio, a dominante recedens, tolerantia quadam publica; quodsi tamen *plures* regni vel territorii incolae eidem *clam* addicti, deprehendatur: adeo saepe eneruatur argumenti, a religione dominante, ad *singulos* ex populo, ducti, robur, ut praevaleat eidem *suspicio* prohibitorum sacrorum, qua iam premuntur populares omnes. Exemplo sunt Bohemi, qui, ab aevo Hussi, Romanae ecclesiae diu haereseos suspecti visi sunt (1).

§ XXXVI.

Idem hoc argumentum a religione, in certo regno vel territorio, dominante, usum quoque habere potest, si de *uniuersitatibus*, in illo constitutarum, religione quaeratur. Qua de re, cum in Germania saepius referat, quibus sacris quaeque uniuersitas an. MDCXXIV. addicta fuerit, probatum dare: tecte quidem sustineri videtur: quod uniuersitas, in eiusmodi territorio sita, cuius domini euangelicae doctrinae subscripserant inde ab ipso reformationis tempore, eidemque, dicto anno, etiamnum addicti fuerant, eandem religionem tum temporis coluisse, censenta sit. Eodem modo uniuersitas, in eiusmodi

Quatenus
in uniuersi-
tatibus hoc
argumen-
tum vale-
at?

H 2

di

(1) Ut tandem in prouerbium abiret: *der Böhm ein Ketzler*, vid.

CRVSIVS *de indic. delictor.*
part. 1. c. 33. n. 4.

di territorio constituta, cuius domini, tum ante annum decretorium, tum et in ipso hoc anno, catholicae religioni addicti fuerunt, eidem religioni dedita, dicto anno, praesumi potest. Cum enim *ius reformandi*, per pacem Westphalicam demum, arctiores *limites* acceperit; atque, ante hanc legem, vt plurimum status id libere exercerent: credibile est omnino, quemque territorii dominum suae religioni prouehendae vel conseruandae studuisse; neque passum esse, aliena, a suis, inualere sacra. Sed cessat haec praesumptio, vbi contrarium probatur vel fortioribus praesumptionibus euincitur. Atque inter has merito referas eam, quae a *quasi possessione* exercitii religionis, in praesens illud tempus, quo controuersia mouetur, continuata, desumenda est. Statim ac enim vniuersitas, in *possessione* exercitii religionis, a religione domini territorii diuersae, deprehenditur: euanescit fundamentum, quo praesumptio, supra adducta, nitebatur, atque eodem modo, vti hactenus dominus passus est alienorum, a suis, sacrorum exercitium, etiam in anno decretorio id passus esse, credi potest. Neque certe, rem vniuersim consideranti, ratio apparet; cur dominus eiusmodi territorii, insequentem tempore et vsque ad praesentis impugnationis momentum, subditis certis, peculiarem suam religionem cultumque suum relinquens intactum, non aequae, in anno decretorio, eundem reliquisse, censendus sit. Atque hinc, licet

licet momentum illud, quo subditi de exercitio religionis suae impetuntur, in illo tempore, quo pax conclusa fuerat, vel *statim insequenti*, ponamus: ab onere probandi illos immunes censendos fuisse, supra iam notauimus. Quodsi vero nunc demum atque *hodie*, post pacem dudum conclusam, subditis vel vniuersitati, de exercitio religionis suae, moueatur controuersia: non corrui modo praesumptio, supra adducta; sed operatur etiam exercitii religionis, per tantum tempus, post pacem conclusam, *continuatio*, nouam praesumptionem contrarii; quod nempe subditi, in anno decretorio, possessionem omnino habuerint; eaque ex iuris *necessitate* ita porro a domino territorii ipsis relicta fuerit. Vt adeo hoc casu multo minus a subditis vel vniuersitatibus probatio quasi possessionis, in anno decretorio habitae, exigenda sit; sed incumbat potius domino, iure reformandi vsuro, probandi onus. Neque obstare huic doctrinae, §. 31. art. V. INSTR. PAC. OSNABR. supra iam ostendimus ^(m).

§ XXXVII.

Sunt LIBRI praeceptores muti. Imo plus ^{12) a LI.} longe faciunt ad prouehendas et spargentas et in vulgus doctrinas, quam vox doctoris viua. ^{BRIS.} Qua de re ab antiquo, libros, damnata dogmata complexos, igni mancipare, mos fuit; qui quidem olim, et ante typographicam artem, ad tollendos, e memoria hominum, errores, omnino comparatus fuerat; nunc

(m) §. XXV.

nunc magis in *signum* damnationis frequentatur. Potest itaque a *libris* etiam, certae religionis doctrinam continentibus, qui penes aliquem deprehenduntur, argumentum defumi, ad eius religionem; nisi nempe constet, alia, quam *propriae institutionis*, causa, eos penes sese fuisse. Atque hinc apud *catholicos* frequentiore usum habet hoc argumentum, quam in *terris euangelicis*. Cum enim ibi prostant *indices* librorum prohibitorum, atque non legere modo, sed et *habere* ⁽ⁿ⁾ scripta, in eos relata, prohibitum sit, tam clericis quam laicis, doctis et indoctis, sub poena excommunicationis, aliisque grauioribus: vrgetior semper est suspicio, eum, qui nihilominus eiusmodi libros sibi comparauit vel secum habuit, eo fine id fecisse, quo sese ex iis instruat vel confirmet animum in doctrinis, ibi traditis. Contra apud *euangelicos*, cum libertas, habenti libros quarumcunque sectarum, adeo circumscripta non sit; fieri ple-

(n) Ita enim PIVS IV. P. M. in bulla, qua confirmat indicem librorum prohibitorum, a deputatis Concilii Tridentini confectum. *inhibentes omnibus et singulis, tam ecclesiasticis personis, saecularibus et regularibus cuiuscunque gradus, ordinis et dignitatis sint, quam laicis, quocunque honore ac dignitate praeditis; ne quis contra earum regularum praescriptum, aut ipsius prohibitionem indicis, libros ullos legere, HABEREVE, audeat.*

Si quis autem aduersus eas regulas prohibitionemque fecerit, is quidem, qui haereticorum libros, vel cuiuscunque auctoris scripta, propter haeresin ac falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita, legerit HABERITVE, ipso iure in excommunicationis poenam incidat, eamque ob causam, in eum, tanquam de haerese suspectum, inquiri et procedi liceat: praeter alias poenas, super hoc, ab apostolica sede sacrisque canonibus constitutas.

plerumque solet, vt plures in promptu sint causae, ob quas quis eiusmodi scripta cõgesserit vel penes se habuerit; neque ergo concludere liceat; vere eorundem doctrinis imbuissẽ animum, aut assensum iisdem præbuisse, possessorem. Et si omnes desint excusationes, superest certe vana illa, sed innoxia, hominum ambitio, qua non tam pro comparanda doctrina, quam concilianda sibi quadam eruditionis, specie ad corradendos vndique libros abripiuntur.

§ XXXVIII.

Pergimus ad alterum argumentorum genus, quae nempe ab EFFECTIBVS ducuntur ad religionem, ceu eorundam causam. Dantur autem effectus religionis, quae in certo homine deprehenditur, alii *proximi*, alii *remoti*. Ad proximos referimus omnes actiones, quae regulariter non, nisi posita, in homine, religionẽ certa, ab ipso suscipi solent; vt adeo ab his *immediate* concludere liceat ad eius religionem. Remoti contra effectus sunt, qui, in proximis religionis effectibus, causam habent; adeoque *mediate* demum ad religionem faciunt argumentum. Videbimus primo loco de effectibus religionis *proximis*. Cumque huc referendae sint omnes actiones, quae regulariter non, nisi posita, in homine, certa religione, ab ipso suscipi solent: eae vel in VERBIS, tam ore prolatis quam scriptis, consistere possunt, vel in FACTIS. Illuc pertinet 1) *assèveratio* hominis, qua

De Argumentis ab effectibus ad CAV. SAM,

et quidem PROXI. MIS.

fese certae religioni addictum, praedicat. Cum autem supra iam dictum sit, probationem religionis, in vita ciuili, fieri *iurium* et *obligationum* causa, quae, legibus ciuilibus, cum illa connexa sunt; ideoque, vbi de singulorum religione quaeritur, id vel ipsorum *fauorem* atque *commoda* intendat, vel *odium* atque *incommoda*, quae, secundum leges ciuiles, a diuersis religionum generibus pendere solent: nanciscitur iam haec asseueratio, de religione propria, diuersum nomen; prout vel in *commodum* vel in *damnum* asserentis versura, editur. Priori nempe casu PROFESSIO dicitur; altero, si accurate loqui velimus, CONFESSIO (o). Vtramque porro in *generalem* seu *relatiuam* et *specialem* seu *positiuam* diuidere licet. Est nempe *generalis*, vbi quis vel nomine communi, quo certae religionis homines vel integra ecclesia appellantur, de sese vtatur; vel formulam fidei, sub nomine

In quibus
eminet
PROFES-
SIO et
CONFES-
SIO.

(o) In iure certe *confessio* hoc sensu accipitur. add. QUINTIL. *declam.* 314. et BRISSON. *de Verb. Sign.* Neque ergo accurate loquantur, qui *formulas* fidei quas-cunque, *confessionum* nomine, appellant. in primitiua ecclesia, et quamdiu religio Christiana pro crimine esset, in imperio Romano, optime quadrabat haec vox. At ubi ratio fidei redditur, *commodi* causa, vel certe nullis inde imminetibus incommodis, non aequae apta est. De formula, quam Euangelici an. 1530.

d. XXV. Iun. *Augustae Vindel.* exhibuerunt imperatori, ab initio dubitasse ipsum MELANCTONEM, num *apologia* an *confessio* appellanda sit? patet ex eius literis d. d. 10. Maji. in CHYTRAEI *hisor. conf. Aug.* fol. 27. Magis placuit ultima appellatio Melanchtoni. Quamquam altera adhuc vtatur LVTHERVS in *literis responsoriis* ad Electorem Saxon. d. 15. Maii. d. a. *ibid.* Catholicis non potuit non ad palatam esse *confessionis* nomen. Quod postea obtinuit.

mine eius generali, approbet atque, se eidem assentire, praedicet, vel etiam, per relationem ad alios, de fide sua testetur. *Specialis* autem, vbi singula illa dogmata, quibus religio profitentis ab aliis religionibus distinguitur, recenscat atque, de iis, conuictionem suam asseueret.

§ XXXIX.

Quantum alias ei, qui, in sui commodum, factum aliquod asserit, id, vbi negetur ab alio, cuius interfuerat, ne pro vero acciperetur, probandum sit: habet tamen PROFESSIO religionis eam vim, vt fides plerumque habeatur asseueranti; neque negare sufficiat, ad onerandum profitentem probatione vltiori. Cuius rei ratio tum in difficultate probandi vera animi sensa; tum et in eo posita est, quod leges ciuiles circa actiones hominum externas potissimum versentur, pacemque externam atque quietem in ciuitate imprimis intendant. Qua de re, vbi certam in ciuibus religionem requirunt: obtentus iam videri potest finis, qui legislatori, in hoc legislationum genere, propositus esse potuerat, si quis, externis actionibus cultuque externo, sese probatae religioni addictum, ostendat. Inter quae cum professio publice edita, imprimis referenda sit: non immerito satisfecisse censetur reipublicae, qui eam edit, ideoque compos esse beneficiorum, quibus nemo frui debuerat, nisi religioni, professione complexae, addictus. Caeterum licet interdum falsa esse possit

*Cur PRO-
FESSIO-
NI fides
habeatur?*

et simulata haec confessio: tamen, quatenus id plerumque sine damno reipublicae euenit, Deo, cordium scrutatori, vindicandum tuto committitur. Ex quo porro intelligitur, quod si ex mendaci fidei professione *singulare* immineat *damnum* reipublicae: non immerito maiorem quandam cautionem adiici, ne facile fallat professus. Hinc, cum, quae ex officiorum publicorum administratione resultant, iura atque praerogatiuae, maiori longe periculo, alienam a publicis legibus, sectam clam fouentibus permittantur, quam quae omnibus ciuibus communia sunt: recte iuramentum religionis, etiam apud euangelicos aliquando requiri, supra iam vidimus (p). Deinde vero cum, pro singularum specierum varietate, nunc maior iterumque leuior suspicio esse possit; ne ficta professione vera animi sensu velentur: non *qualiscunque* semper confessio sufficit; sed *variae eius qualitates* requiruntur, quae demum plenam ipsi concilient fidem.

§ XL.

Cur CONFESSIO-
NI.

Quod CONFSSIONI religionis, quam nempe, in *praeiudicium* asserentis, semper edi, diximus, plena accommodetur fides, nihil habet *singulare*; sed iisdem rationibus niritur, quibus, in omnibus factis reliquis, confessioni primas, in probando, deserimus

(p) Pertinet ad has cautiones, quod, in *Hispania*, ad quaedam officia non admittantur, nisi qui ex *causa limpia* progeniti fuerint, h. e.

maiores habuerint ab antiquo Christianos *Histoire de l'Inquisition* p. 171.

mus partes. Quod scilicet sanæ mentis homo, factum, in suum damnum versurum, afferens, non alia ratione id facere, credi possit, quam conscientiae stimulis adactus (q). Caeterum, in hac religionis confessione, pro causarum diuersitate, itidem peculiare qualitates requiruntur, de quibus postea videbimus.

§ XLI.

Atque primo quidem, quantum ad *professionem* fidei pertinet, SPECIALIS merito requiritur, vbi quis de *nouo* in communionem certae ecclesiae recipitur, imo ipsa facta etiam accedere, quae religionem, nouiter susceptam, demonstrent, omnino consultum est (r). Hinc vbi Iudaeus vel infidelis iuri-

I 3

bus

(q) add. *Dn. PRAESID. dis. de tortura confessi* §. 3. seqq.

(r) Vbi fuerunt eadem philosophiam Romani, Christianorum persecutores, aduersus eos, qui, de Christianismo vel suspecti vel conuicti, se impraesentiarum veteri superstitioni iterum addixissent animum, praedicauerant. Ab his enim, praeter professionem hanc, porro exactum esse, ut deos appellarent, et imagini imperatoris numinumque simulacris thure ac vino supplicarent, praeter ea Christiano maledicerent, auctor est FLINIUS lib. X. epist. 97. Quamquam postea faciliores essent ad fidem habendam iis, qui se patriis sacris deditos profiterentur,

ut ne factio quidem sacrificandi semper opus videretur; sed vel simpliciter negare sese Christianum esse, vel libello id testari, sufficeret. Illud innuit TERTULLIANVS in apolog. *Confiteor et torques; quid faceres si negarem? Plane aliis negantibus non facile fidem accommodatis; nobis, si negauerimus, statim creditis. Ex hoc vero peculiare genus lapsorum nomen accepit, libellatici dicti, cum quibus mitius actum, quantum ad poenitentiam pertinet, quam cum sacrificatis vel thurificatis, de quo vid. FLEURY Sitten der ersten Christen c XIX BOEHM. iur. eccles. protest. lib. V. tit. IX. §. 4.*

bus Christianorum frui debeat: non sufficit sane, sese Christianum, in *genere* profiteri; sed opus est omnino, vt praecipua Christianae doctrinae capita addidicerit, atque assensum suum in ea *speciatim* exponat ^(s), tum et, susceptione sacri *baptismatis*, serium animum sese addicendi Christianorum sacris, demonstrat. Eodem modo, ab antiquo, qui, ab haereticis, ad orthodoxam ecclesiam redire voluerant, fidei professionem, per *libellum*, edere atque errores, quos reliquerant, *nominatim* damnare debuerant ^(t). Cui postea, ex quo haeresis pro summo crimine habita in ecclesia Romano catholica, adiecta fuit errorum *eiuratio*. Quae tamen hodie apud *euangelicos* in iis, qui *ultra* sese ad ipsorum ecclesiam conferunt, non frequentatur. Ab eo vero, qui tum demum reuertitur ad verae religionis professionem, vbi, ob dogmata, quae ante fouerat, atque in vulgus disseminauerat, iam ipsi imminuerat poena publica, non immerito iuramentum purgatorium exigi videtur. Cum suspicio sit, ne poenae solummodo amouendae vel mitigandae causa, ad simulationem mutationis prolabatur. Neque obiici potest, quod qui, per mendacium, fingere aliam religionem, non dubitauerit, iuramento hoc, aegre sese a simulatione reuocari passurus sit. Nam si deum non vereatur, poenas periurii *ciuiles* non poterit non metuere; atque id certe lucrabitur respublica, vt disseminatione errorum im-

poste

(s) c. 93. et 97. dist. 4. de consecr. *Judaesis part. 3. c. 2. n. 3.*
 MARQVARD. de SVSANN. de (t) c. 19. 20. 21. 22. qu. 7. C. 1.

posterum diligentius sese abtineat. Contra GENERALIS fidei professio tum facilius admittitur, si is, qui illam edit, de dogmatibus singulis, ad religionem certam pertinentibus, satis certus atque informatus esse, aliunde praesumi possit. Hinc, qui non nouiter ecclesiae cuidam accedit, ab alia egressus; sed inter homines eiusdem religionis natus et educatus est, atque cultum cum iis eundem obseruauit, iam, ubi de eius religione dubium moueatur, *generali* et, per *relationem ad formulam fidei*, edita, professione, efficit, ut pro eiusdem religionis aeterna etiamnum habendus sit. Atque adeo quidem haec *generalis et relatiua* professio, quantum ad *euangelicos* pertinet, valere videtur, ut iuribus et beneficiis ciuilibus, quae, in Germanico imperio, a susceptione *Augustanae confessionis* pendent, nemo destituendus sit, si modo ad *literam* eidem assentire, deprehendatur; licet cacteroquin explicationibus huius vel illius ecclesiae particularis doctorum non subscribat. Multo minus vero, si, praeter Augustanam confessionem, singulares doctrinas, quae ibidem neque approbatae neque aut directo aut per consequentiam necessariam damnatae sunt, foueat. Quod tamen *uniuersi imperii* intuitu solummodo intelligendum est; non aequae intuitu *singulorum territoriorum*. Cum enim, quantum ad singula territoria euangelica pertinet, eorum dominis, vi iuris reformandi, integrum sit, definire publicam doctrinam: fieri
omni-

omnino potest, imo factum esse, satis constat, vt certa Aug. Conf. explicatio pro publica doctrina recipiatur, aut dogmata, in illa nominatim non damnata, iam demum damnentur, atque ita noua quaedam atque vltior formula fidei proponatur, a cuius professione demum suspensa sit, in illo territorio, plena ciuiliū iurium communicatio (u). Respectu vero ad imperium vniuersum habito, si qua dentur Augst. Confessionis capita, quorum verba, diuersum admittunt sensum, pro non definitis merito habentur, vt adeo, qui reliquis, indubii sensus, articulis assenserit, quoad illos libertate gaudeat, sentiendi, quiquid verbis ibidem positis, ipsi conuenientissimum videtur. Vsque quo sequatur ab vniuerso imperio vel certe corpore euan-

(u) Qua de re, in MANDATO illo S. C. in CAMERA IMPER. decreto an. 1694. contra camerarios et senatum Augustanum, quod sinit BOEHMERVS in Iur. eccl. tom. I. lib. I. tit. I. §. 61. recte quidem dicitur: Wann aber die im Heil. Röm. Reich stabilirte Religions Freyheit der Augspurgischen Confessionsverwandten aufser allen Zweifel und insonderheit denenienigen Reichsbürgern und Unterthanen, die solche Confession IN LITTERA, wie sie lautet, annehmen, gewiss zukomme; quando vero additur: die declarationes, extensiones Ordnungen bingegen, so die OBRIGKEIT

oder Ministeria darüber machen, noch lange nicht von der Verbindlichkeit erkläret seyn, daß wer sich zu denselben, über den BÜCHSTABEN der Augspurgischen Confession, nicht bekennen wolte, von daber aller beneficium und Guttbaten des Religions Friedens unfähig werden müste etc. non potest id intelligi, nisi de beneficiis, quae Confessio Augustana, intuitu IMPERII VNIVERSI, operatur. Contra vero, respectu ad singula territoria, sine detrimento iurium territorialium, vix sustineas, quae hic generatim dicuntur.

euangelico, doctrinae, vere approbatae vltior definitio. Caeterum licet *generalis* vel *relatiua* religionis professio ab eiusmodi saepe hominibus edatur, qui de *singulis* dogmatibus, quibus religio, quam pro sua venditant, ab aliis distinguitur, parum intelligunt; cum tamen eius generis professio ad minimum animum demonstrat, a doctrinis reprobatis alienum et abhorrentem, atque ad proficiendum in doctrinis, publice probatis, si occasio vel vires essent, proutum atque paratum: non certe hi merentur tantum rigorem; quin nihilominus fruuntur iuribus atque beneficiis ciuilibus, quae in republica a religione pependerant (x). Contra vero fallaci illi hominum generi, qui *generali* Augustanae confessionis appellatione abutuntur ad beneficiorum publicorum, quae ab eius professione promanant, communionem obtinendam; caetera vero doctrinae, cultus atque disciplinae singularitate longe abeunt ab illa norma, immerito habetur fides; cum horum quidem professio sit ipsi *facto* contraria.

K

§ XLII.

(x) Sufficit itaque fides *carbonaria*, quam dicunt, etiam apud nos, ad *commodorum ciuilium*, a religione dependentium, communionem. Alia quaestio est: an ad *salutem aeternam*? Quam cum priori confundunt pontifices Romani; non magis de salute aeterna subditorum solliciti, quam de stabilienda atque firmanda sua *hierarchia*. Neque enim quicquam magis in hanc rem compara-

tum est, quam illud fidei genus. Cui adeo indulgent, vt licet quis vere erret, in fidei dogmatibus, putet tamen, bona fide, id, quod ipse credit, credere ecclesiam, ipsis non videatur subire salutis aeternae periculum. Vide INNOCENT. ad c. 1. X. de *summ. trinit.* CANIS. in *comment. ad tit. de summ. trinit. n. 4.*

§ XLII.

Confessio
quatenus
SPECIA-
LIS esse
debeat?

Quod ad confessionem religionis attinet, imprimis annotandum est, dari quaedam dogmatum genera, quae specialiter prohibita sunt, sub certis definitisque poenis; deinde vero generatim omnis dissensus a religione dominante, reprobatus, per leges civiles, apprehenditur, iterum sub singulari in dissentientes animaduersione; (y) ut adeo haeresis recte diuidatur in nominatam seu positivam, et innominatam seu negativam. Iam itaque, si de haeresi nominata seu positiva quaestio sit, atque poenis, in eam nominatim constitutis: non magis certe probata videri potest, ubi generaliter eam confiteatur aliquis, atque nomen, qua secta illa forte appellatur, suum faciat; quam, si homicidam sese aliquis, vel furem, vel alius criminis fontem concedat, absque singulari circumstantiarum obiecti, loci,

(y) Sic non omnium haeresium eandem poenam fuisse, in Romanorum imperio, satis apparet ex tot. tit. Cod. de haereticis. et praesertim ex L. 5. eod. ubi in fin. : illis etiam omnibus in sua manentibus firmitate, quae de unitate, poenisque VARIIS, deque DIVERSIS, sunt haereticis promulgata. Quibusdam enim, peculiare nomen habentibus, ultimum supplicium interminantur leges, in quibus sunt *Matthaei* L. 5. L. 12. eod. et qui quempiam de ministris catholicae sectae rebaptizaverint. L. 2.

C. ne sanct. bapt. iter. Quibusdam exilium cum confiscatione bonorum L. 6. *C. de haeret. et Man.* L. 7. §. 2. eod. Quibusdam poenam pecuniariam L. 2. §. 1. L. 7. §. 4. eod. Deinde in haereses non nominatas, sed sub generali dissensus ab orthodoxis notione subsistentes, iterum peculiares poenae statuuntur in L. 12. *C. eod.* Caeterum nomina peculiosa, certis sectis, per leges publicas, eo sine imposita esse, ut detraheretur ipsis nomen Christianorum, innuit L. 6. *C. eod.*

loci, temporis atque modi mentione, earumque deprehensa veritate. Omnino itaque requirenda confessio *specialis singulorum* dogmatum, quorum causa imprimis secta quaedam reprobata fuerat (z). Quod vero ad haeresin *innominatam* seu *negatiuam* pertinet, sufficere quidem potest, constare de *dissensu*, licet non constet, speciatim de dogmatibus quae fouet dissentiens. Quo tamen de dissensus veritate appareat, praesertim si de poena grauiori infligenda, agatur, opus est omnino, praecessisse, de potioribus fidei capitibus, examen rei, eisque assensum ab hoc *speciatim* denegatum esse.

§ XLIII.

FACTA, quae inter effectus *proximos* religionis referri, adeoque concludendo ad causam, probationi religionis inferuire possunt, plura quidem sunt, quam vt omnium hic liceat inire recensum. Cum tamen eorum non vnum sit genus, nec efficacia eadem, imprimis ad *diuersas* reducenda videntur *classes*. Nempe sicut *asseueratio* de religione, verbis facta, vel *professionem* vel *confessionem* constituit: ita et, vbi ex factis ad religionem argumentum ducitur, id vel eo fine fit, vt particeps reddatur aliquis commodorum, vel

K 2

vt

(z) Saepe enim, quae eodem nomine, cum alia, appellatur, secta, quantum ad doctrinas singulas pertinet, longe ab altera differre solet. Sic qui hodie *Anabaptistarum* nomine veniant, in

Belgio, aliisque regionibus superstitites, non easdem per omnia fouere doctrinas, cum illa secta, quae, sub eodem nomine damnata fuit, in recessibus imperii, obseruarunt alii.

vt sentiat incommoda, quae, cum diuersis religionum generibus, per leges, connexa sunt. Ultimo casu iterum repetenda est distinctio §. precedente tradita: quod nunc vniuersim in *dissensum* a religione dominante incommoda quaedam vel poenae statutae esse soleant, nunc vero certa dogmata *nominatim* damnata et, sub peculiaribus poenis, prohibita. Differunt itaque facta quae ad probationem religionis facere possunt, quod ex quibusdam ad certa atque difinita *dogmata* seu religionem certam, in *specie*, concludere liceat; ex aliis vero solummodo denegatio assensus in religionem quandam apparere, videatur.

§ XLIV.

De FAC-
TIS, CER-
TAM re-
ligionem de-
monstran-
tibus.

Prioris itaque factorum generis vsus est, tum si de *commodorum*, quae a religione, in republica, pendent, participatione; tum et vbi de *poenis* illis peculiaribus in haeresin quandam *nominatam* et *positiuam* statutis, quaestio est. Pertinet huc *cultus* diuini *externi* frequentatio continua; *sacramentorum*, prout in certarum religionum ecclesiis administrantur, vsus; (a) *liberorum*, in certa religione *educatio*, quatenus haec merae facultatis fuerat; singularis in ecclesiam quandam *liberalitas*, vel pro eius commodis studium singulare; *sepulturae* in coemetrio vel templo certae ecclesiae electio, et id genus alia. Prout enim

(a) Sic in REC. IMP. de an. 1529. §. nachdem auch 6. ex eo, quod quis liberos suos, recens natos, ad sacrum baptismum perferre,

intermittat, arguendum esse, statuitur, illum anabaptistarum sectae esse additum, atque poenis, in hos statutis, dignum.

enim quaeuis religio *peculiarem cultum* habere solet; oriuntur porro, pro *singulis* religionibus, ex singularibus factis, quae ad cultum diuinum externum, cuique *proprium*, pertinent, peculiaris argumenta. Sic qui *rosario* vitur ad dimetiendum preces; qui *imagibus* Sanctorum, in ecclesia Romano catholica celebrium, cultum exhibet; qui stata catholicae ecclesiae *ieiunia* obseruat; qui, vel inter viuos vel per testamentum, in remedium animae suae et ad missas celebrandas bona sua destinauit; qui, non coactus (b), *iuramentum* praestitit, sub omnium *sanctorum* inuocatione, etc. non potest non religioni Romano catholicae videri addictus.

§ XLV.

Valent haec, tam *singulorum* hominum intuitu, *Praesertim MOR-TVO-RVM.* quam *viuuerstatum*. Cum vero, quantum ad *singulos* homines pertinet, si in *viuis* sint, eorum plerumque haberi possit *professio* vel *confessio* expressa: imprimis vtilitatem praestant haec, a factis desumta, argumenta, si *mortui* sint, de quorum religione iam disquiri-

K 3 tur.

(b) Per *pacificationem* PASSAVIENSEM enim §. 10. et REC. IMP. de an. 1555. §. 104. quoad iudicium camerale, statutum est: *dass die Form der Beystzer und andern Personen und Partbeyen Eydes zu Gott und den heiligen, oder zu Gott und auf das heilig Euangelium zu schwebren, denen, so schwebren sollen, hinfübro frey zu lassen.*

Sic et, quod, in INSTR. PAC. WESTPH. art. V. §. 48, habetur, ne Catholicorum Augustanae confessioni additis statutis provincialibus et subditis, qui an. 1624. ecclesiasticam iurisdictionem agnouerunt, *occasione processus, quicquam iniungatur Aug. confessioni vel conscientiae repugnans, ad iuramentorum formulas imprimis pertinet.*

et VNI. tur. Deinde, cum in *vniuersitatibus*, vbi non de *prae-*
 VERSI. senti religione, sed quam *praeterito* quodam tem-
 TATVM. poris momento fouerint quaestio agitur; *praesentium*
vniuersitatis membrorum professioni, non tantum tribui possit, quam professioni singulorum;
 (§. XXI.) neque constet semper de *professione* expressa, olim edita: (c) recurrendum est plerumque ad hoc probationum genus. Qua de re si *vniuersitas*, *praeterito* quodam temporis momento, cultum diuinum externum composuit ad rationes certae religionis, adeoque eius religionis *exercitium* vel publicum vel priuatum habuit: non potest non inde concludi, eam eidem religioni tum temporis addictam fuisse. Neque tamen opus videtur, iam nunc *omnium*, quae ad cultum diuinum, certis religionibus *proprium*, pertinent, doceri obseruationem; sed si modo de *singularibus* quibusdam actibus, quibus cultus diuinus externus certae religionis ab aliis discernitur, iam constet, ex iis aequae valet argumentum ad religionem, quam tum temporis fouerint. Sic vbi apparet, quod *paroco* vel *ministro* ecclesiae, Aug. confessioni addicto, vsa fuerit *vniuersitas*; quod *stato* loco et tempore audierit eum, pro *concione*, verba facientem; quod sacramentum *baptismatis* atque *sacrae coenae*, ad eiusdem confessionis praescripta, *vniuersitatis* membris

(c) Exemplum infigne professionis fidei expressae, ab *vniuersitate* editae, praebent ciuitates imperiales, in comitiis an. 1530.

Confessioni Augustanae subscribentes, *Norimberga*, *Reuthlinga*, *Campodunum*, *Heilbronna*, *Winsbentum*, *Weissenburgum*.

bris administrata fuerint; quod *liturgiam* quandam obseruauerint, ecclesiis euangelicis solennem atque *propriam*; quod *scholae* moderatores aluerint, Augustanae formulae subscribentes; quod *catechismo* Lutheri tam in schola, quam in conuentibus, cultus diuini causa institutis, vsi fuerint; quod in *matrimonii* contrahendis, in *iuramentorum* formulis, in *sepeliendis* mortuis, euangelicorum mores secuti fuerint etc. (d): quis dubitet, quin ex *singulis* eiusmodi factis inferri possit, religio euangelica, in vniuersitate, illa

tem-

(d) Quaesitum memini: an sententia illa: *Verbum Domini manet in aeternum*, literis initialibus V. D. M. I. Æ. expressa, in altari, suggestu, baptisterio, campanis, fenestris, ianuis, ventilabris turri impositis, vel horologio templi, cum adiecta certi anni mentione, probet; isto anno templum istud Aug. Confessione addictorum fuisse? Nempe a primis iam reformationis temporibus, haec verba fere euaserant in *teſeram*, qua discernentur euangelici, a catholicis. Neque enim IOHANNES Elektor Saxonicus solum iis adeo delatus fuit, vt *quinque* illis *literarum* formis, famulorum aulicorum *vestimenta* distingui iuberet; sed et in HENRICI ducis Saxoniae aula, idem obtinuisse, apparet ex *relatione*, quam sub titulo: *Kurzes Verzeichniß etliches Thuns, Hertzog Hein-*

richs zu Sachsen etc. exhibet GLAFFEY in *Kern der Sächs. Geschichte lib. I. c. 11.* ibi enim autor relationis, qui et ipse ex famulatio HENRICI ducis fuerat, p. 147. vbi de morte GEORGII Ducis Saxon. eiusque nuncio, ad Henricum ducem perlato, agit: *die Rätbe zu Dresden hatten alsobald an Hertzog Heinrichen geschrieben, daß mir der reitende Bote begegnete; ebe dann ich in die Stadt kam verwundereten sich viel Leute, die mich an der Hoffarbe kanden. Denn man führte V. D. M. I. Æ. von Atlas auf Seide gestickt im Ermel. PHILIPPUM Hasſiae Landgrauium idem secutum esse institutum, autor est Ill. ESTOR, in *delin. iur. publ. eccles. c. 11. §. 3.* Praefertim vero in *comitiis* AVGVSTANIS an. 1530. hoc lemma, in ipsis famulorum *vestibus* exhibito, ostenta-*

tempore, obtinuisse, quo haec ita obseruata fuisse, constat.

§ XLVI.

*De factis,
solum DIS-
SENSVM
demon-
strantibus.*

De altero factorum genere, ex quibus non ad certa et definita dogmata concludere licet, sed dissensus solummodo, a religione quadam, apparet, ad nimitatem vsque agunt, qui, de inquisitione haereticae pra-

bant ardorem pro euangelii doctrina atque confidentiam in deo p sitam. Vt fere mihi persuadeam, suggillari in ipso RECES- SV imp. AVGVSTANO dicti anni, hoc euangelicorum celestina, vbi in §. und haben uns darauß 55. di-itor: und insonderheit sollen sie sich der Redmas- sen, so etliche biszanhero, gedach- ter Weis zu thun, nicht geschä- met, das man das heilig GOT- TES WORT VERTRÜCKEN und VERTILGEN wolt, welches doch nicht allein vnser und gemeiner Stände Will oder Meinung nie gewesen, sonder viel- mehr die Sorg und Zuneigung ge- tragen, auch noch des Christli- chen Gemüths sind, das das heilig GOTTES WORT zu Mahrung Christlicher Lieb, Got- tesfurcht, Andacht und guter Werke gepflanzt und in Christ- lichen Wesen erhalten, und nicht, wie jetztund der neuen Lebre Ge- brauch, nach eines eigen Willen,

Nutzen, Neyd, Hoffart, oder zu Verführung des unverständigen Leyen, geprediget werde - - enthalten etc. Certe catholicos male habuisse, proditam, his li- terarum formis, euangelicorum confidentiam, apparet ex cauillatoris interpretationibus, qui- bus eam traducebant, atque, inter alia, elementis illis initialibus hunc assingebant sensum: Vnd Du Muß Ins Älend. Quae cum ita sint, cumque adeo ex- osus catholicis atque in pesti- mos sensus detortus fuerit harum literarum vsus: non possunt sane, autore catholico, inscriptae vel inculptae ceteri templis, turribus, campanis, baptisteriis, horologiis etc. vbi eas hodie de- prehendimus. Neque ergo exiguum momentum faciant, ad probandum: isto tempore, quo haec ita perscripta fuerunt, obtinuisse ibidem religionem euangelicam, vel dominatos esse, huic religioni addictos.

prauitatis, tradidere, scriptores (e). *Duplici* tamen nomine crudelissimum hoc, quod, pro extirpandis haeticis, in quibusdam catholicorum terris, inualuit, iudiciorum genus ab aequitate naturali atque iure communi, quo alias, in probationum argumento, utimur, aberrat: 1) quod *leuissimis* indiciis maior, quam par erat, ad probandam haeresin, tribuatur vis; deinde 2) quod vel sola *suspicio* pro crimine sit. Quae quidem iudicandi ratio, pro stabilienda pontificis Romani atque clericorum *hierarchia*, vnice excogitata atque in usum deducta fuit. Est enim hic ipse finis, quem *salutis ecclesiae* nomine incrustant, quae centum potius innocentes puniri, postulet, quam vnum dimitti fontem. Cum vero exulent apud euangelicos, infausta illa, pro hierarchia, studia: in probando dissensu a doctrina, publice recepta, illorum tradita sequi, non ab aequitate solum et humanitate, sed et prudentia, longe esset alienum.

§ XLVII.

Superest, ut de illis *factis* videamus, quae, ceu *De effectibus REMOTI*, ad probandam religionem, face-
 bus *RE-*
 cere possunt. Consistunt haec plerumque in factis *MOTIS,*
 tertii alicuius et ab eo diuersi, de cuius religione quae-
 ritur. Quae nempe facta tertius aliquis admitturus *ex quibus*
 non fuisset, nisi de certa quadam alterius religione *probatur*
 religio. *Quo pertinet*
 L per-

(e) Quorum tradita in compendio receuset LIMBORCH in *bi-stor. inquis. lib. III. c. 11. et 12.* BOEHMER in *iur. eccles. lib.*

V. tit. 7. §. 25. seqq. Anonym. bisoire de Pinqquisition liv. II. p. 175. add. HORTLEDER von Vsf. des T. X. lib. I. c. 35.

persuafus, iam eo fortius praebent, pro probanda illa, argumentum, quo minus tertius ille, credulitate quadam deceptus, cenferi potest. Opus imprimis effe solet hifce argumentis, vbi, de religione hominum iam *defunctorum*, lis agitur. Sic ab admiffione ad sustinendum *susceptoris* seu *patrini* munus, recte concluditur ad religionem admiffi, in illis prouinciis, vbi prohibitum est, adhiberi alienae religionis asseclas. Dantur territoria, cuius incolis interdictum est *matrimonio*, cum alterius religionis vxore (f). Iam itaque, quae vixiffe in coniugio cum eiusmodi territorii incola, apparet, non immerito censetur, eiusdem cum marito religionis fuisse, donec, dispensante principe vel coniuente, eiusmodi connubium toleratum fuisse, probetur. Eodem modo, a *domicilio*, ad religionem concludi potest; si quis in territorio vel ciuitate, fixam habuerit fortunarum suarum sedem, vbi non nisi vnus religionis asseclae tolerari sueuerant. Contra vero in territoriis et ciuitatibus *mixtis*, vel vbi quocunque modo plurium religionum homines habitare, permittitur, nullius vel exigui roboris est, hoc a domicilio argumentum. Cum *iure-ciuittatis* eadem ratione comparatum est; cum enim in quibusdam ciuitatibus, tam immediatis, quam mediatis, nemo inter ciues recipiatur, nisi catholicae religioni deditus, in aliis non nisi

1) *admissio ad munus SUSCEPTORIS.*

2) *matrimonium.*

3) *domicilium.*

4) *ius ciuitatis.*

(f) Idem, interris huius principatus, obtinet. vid. CORP. CONST.

BRANDENB. CVLMBAC. Part. I. Cap. VII. sect. II. n. 22.

nisi euangelicae vel etiam reformatae: inferri potest a *iure ciuitatis*, quo quis in eiusmodi ciuitate, non nisi *vnus* religionis ciues admittente, gauisus fuit, ad eius religionem conclusio. Sicut, e contrario, vbi plurium religionum ciues habentur, huic argumento nullus est locus.

§ XLVIII.

Dantur porro, tam in *imperio Germanico*, quam ^{s) officia publica.} in *territoriis singulis*, officia publica plura, quae non nisi certae religioni addictis concedere licet. Quicumque itaque eiusmodi *officio* praefuit: non potest non ceteri, eandem religionem coluisse, quam leges requisierant. Sic et in *beneficiis* quibusdam, ^{6) beneficia.} conditio sine qua non habetur, certa religio. Referas huc, quod, in quibusdam euangelicorum territoriis, tanta cautione excludantur a *stipendiis* academicis et ^{7) stipendia.} scholasticis, qui Augustanae confessioni et libris symbolicis non subscribunt; vt etiam hanc in rem iuramentum religionis in vsu sit (8). Quod si itaque constet, percepisse aliquem eius generis beneficium; non potest certe dubitari, quin religioni euangelicae fuerit addictus. Inualuit in pluribus territoriis, ne *possessionem* quidem bonorum *immobilium* alterius, ^{8) possessio bonorum immobili.} quam quae dominatur sola in territorio, religionis affectis, permitti; idque partim *legibus*, vltro latis, a territorii domino; partim et *pactis*, cum ordinibus prouincialibus, inito. Quamquam autem, quatenus

L 2

nus

(8) Vid. FRITSCH de *stipend.* cap. XI. n. 19.

nus excluduntur, qui vni ex probatis, in imperio, religionibus subscribunt, dubitari possit, annon haec legum et pactorum genera INSTRUMENTO PACIS WESTPH. aduersa sint: cum tamen de ipsa *praxi* satis constat: potest certe, in eiusmodi territoriis, etiam a *possessione* bonorum *immobilium*, argui ad possessoris religionem.

§ XLIX.

Denique, in hoc argumentorum genere, insignem locum occupat *sepultura*. Licet enim, de *iure ciuili*, haereticis *legitimam sepultura* deneganda haud sit^(h): ex quo tamen in *propriis* fundis, sepulchra exstruere, desit licere, quem morem supponere videtur ius ciuile; sed in *atriis* templorum atque *coemeteriis*, benedictione quadam initiatis, sepeliendi fuerunt mortui: coepit iam sepultura, in eiusmodi locis benedictis, pro praerogatiua haberi eorum, qui essent in ecclesiae *communione*; extra hanc communionem constitutis prorsus deneganda. Adeo vt hodiernum, apud catholicos, ne liberi quidem orthodoxorum, *ante baptismum* mortui, pleno coemeteriorum gaudeant usu. Ex quo facile intelligitur, infidelibus et haereticis multo minus ibidem concedi sepulchra; vt potius, horum inhumatione, *pollutionem* quandam pati, videatur, terra per benedictionem sacrata. Quanquam autem, per *pacem reuinciam et Westphalicam*, haereseos nota plane liberati sint Augustanae confessioni addicti, atque,

(h) L. 9. C. de haeret. et Manich.

ne a *coemeteriis publicis* arceantur, vniuersim prohibi-
tum sit, in huius *art. V. §. 35.* parum tamen vereri
hanc legem catholicos, passim obseruare licet. Imo
ipso euangelicos interdum iusto duriores esse, in de-
negando catholicis atque reformatis caemeteriorum
vsu, vel solo CARPZOVII (i) exemplo constat. Qui-
bus tamen hic rigor multo magis vitio vertendus est,
quam catholicis. Cum apud hos quidem, secundum
ea, quae antea diximus, denegatio coemeterii pro se-
pultura eorum, qui extra illorum ecclesiam sunt, ex-
principiis suae religionis atque ipsa *coemeterii natura*,
excusari soleat; apud illos vero vix aliam rationem
reddere liceat, quam *retorjionem*. Quae cum ita sint,
dum regnant haec, inter diuersae religionis affectas,
ad cadauera vsque et cineres protensa odia: certum
est omnino, oriri posse, ex *loco sepulturae* haud con-
temnendum, pro probanda religione sepulti, argu-
mentum. Deinde vero cum non quoad *locum* tan-
tum sepulturae; sed et *ritus* et *ceremonias* externas,
dissensus in religione insignes operari soleat effectus,
vt, qui ecclesiae illius loci, vbi moriuntur, additi
non fuere, vel *inboeusta* vel certe *minus solenni* ra-
tione mandentur terrae: facere etiam possunt *ceremo-*
niae, in sepultura adhibitae, ad probandam olim
sepulti religionem.

(i) CARPZ. *iurispr. confist. lib. II. def. 383.*

T A N T V M.

PRAENOBILISSIMO
ATQVE
DOCTISSIMO DOMINO
CANDIDATO

S. P. D.

PRAESES.

Sic tandem cathedram conscendis,
PRAENOBILISSIME DOMINE
CANDIDATE, summis in iure hono-
ribus maectandus, quibus quam dignus
quamque par sis, non hoc demum
conflictu publico demonstraturus es, sed dudum
comprobaueras, editis, in hac ipsa arena, nunc de-
fensoris nunc contradictoris sustinendo partes, in-
signibus doctrinae speciminibus. Tamen nihil fe-
stinandum putabas, in imponenda hac, quae in ho-
norum impetratione consistere solet, laboribus aca-
demicis coronide; sed, quod IVSTINIANVS
IMP. olim a legitimaie artis cultoribus exegerat, ne,
ante quinquennium emensum, scholas iuridicas re-
linque-

linquerent, non reprehendendo sane consilio, exacte
seruasti, non quidem vlla legis obligatione adstrictus,
non ingenii lentore remoratus; sed solo proficien-
di, in omni bonarum artium genere, ardore deten-
tus. Nempe quo eo magis prodesse olim pa-
triae: solidae, qua pollebas, iuris, tam priuati quam
publici, cognitioni, elegantiorum literarum iunxe-
ras studia, atque linguis exoticis praesertim, qui-
bus, pro nostri seculi ratione, aegre carent, qui
in negotiis vel priuatis vel publicis cum fructu sem-
per versaturi sunt, singularem impenderas operam.
Cumque interim profectuum, quae in priuilegio-
rum doctoralium candidato requiri possent, con-
scientiam, tibi dulcissimum laborum praemium cen-
feres: non anhelabas honores illos, sed, placido at-
que sedato animo, ad eos adspirabas. Neque tem-
poris, quo illos impetrares, tanta Tibi videbatur
ratio habenda, cum satis duceres, nulli esse doctri-
na secundum. Ita certe Te praestitisti in examini-
bus; ita in publica arena; nec dubito, quin, ipsi-
rerum agendarum spartae admotus, Te eundem prae-
stiturus sis. Gratulor mihi auditorem, tum assiduita-
te auscultandi, tum vitae atque morum integritate du-
dum charum, iam nunc tam luculenta rite colloca-
ti temporis edentem specimina. Gratulor Specta-
bilis-

bilissimis Tuis PARENTIBVS filium, spem, quam
de Te conceperant, rite explentem. Gratulor PA-
TRIAE ciuem, haud vulgari inseruiendi reipubli-
cae necessitatibus dexteritate praeditum, atque eius
commodis egregie operaturum. Adsit supremum
numen Tuis coeptis atque, fructum Te capere, iubeat,
studiorum Tuorum vberimum. Vale. Dab.
Erlangae d. VI. Dec. MDCCLI.



nc.







No 1837 6


VD18

ULB Halle

3

005 713 323





P. 350.

PRC
R
S
ONE

ER
COM

62. num. 12.



No 18376

KONFRIED
UNIVERS.
ZVHALIE



Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

AP

VM

